63458/13

12
14

11
6.3

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

WILDVOGEL, C.

T9

CHRISTIANI WILDVOGELII
ICTI CELEBERRIMI
CONS. SAXO - ISENAC. INTIM. CVRIAE PROV. ET SCAB.
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.

# LIBELLVS
## DE
# BALNEIS
## ET
# BALNEATORIBVS

OB
PRAESTANTIAM ET VSVM SINGVLAREM
DENVO REVISVS
PRAEFATIONE ET INDICE
AVCTVS

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
MDCCLIIII.

# LECTORI BENEVOLO

S.

Nomen CHRISTIANI WILDVOGELII in eruditorum, in primis Iureconſultorum republica ita notum & pervulgatum eſt, ut ne unus quidem inter iurisperitiae ſolidioris ſtudioſos reperiatur, qui virum huncce praecellentiſſimum non miretur & ſumma laude efferat. Scripta eiusdem, in quibus multa induſtria & diligentia multaque doctrina apparet, omnino digna ſunt, quae legantur ſaepe & diu; atque, ſi diſtracta, denuo recudantur, ne eruditos

deſi-

deficiant libri, ex quibus id haurire poſſint, quo intellectum polire, voluntatem emendare & ſcientiam generatim facere queant uberiorem.

Hinc amplo ornandus eſt verbo bibliopola honeſtiſſimus, qui denuo in libellum huncce de *balneis & balneatoribus* typus exprimendum fecit impenſas. Omnia ſane, quae ad rem balneorum & balneatorum illuſtrandam faciunt, diligenti ſtudio congeſſit autor illuſtri laude celebratus, ut inter opera multae lectionis & eruditionis referatur merito. Iucunda, utilia & neceſſaria hic indivulſo nexu cohaerent. Ex ultima antiquitate illa, quae argumentum hoc ſpectant, neque ubivis occurrunt, eruta, &, quae noſtro tempore uſu recepta ex recentioribus ſuperiorum ſtatutis allata ſunt. Leges non paucae ex digeſtis, codice, novellis, edicto Iuſtin. iure canonico, codice Theodoſiano & Baſilicis invenies ita explicatas, ut rei cognitio data ſit, quae iurium ſtudioſis & practicis fructum ferre poſſit uberrimum. Lege, *benevole lector*, hunc libellum & adprobabis ſententiam. Vale. Scribebam in muſeo d. 26. Ian. 1754.

SECTIO I.

# Q. D. B. V.

## CAPVT I.

### DE
# BALNEI ETYMO, SIGNIFICATV, DEFINITIONE AC DIVISIONE.

### SVMMARIA.

1.) *Balneum & balineum unde* §. 1.

2.) *Græcum* τὸ Βαλανεῖον *unde* §. 2.

3.) *ætas vocis balnei & uſus hodiernus* §. 3.

4.) *homonymia balnei* §. 4.

5.) *balneum etiam appellatur balineum* §. 5. *lavacrum* §. 6. *balneæ* §. 7. *thermæ* §. 8. *officina* §. 9. *balnearia* §. 10.

6.) *Balneum cur Privatum ſimpliciter dicatur in Conſtitutionibus* §. 11.

7.) *Græcæ appellationes quæ balneis in legibus dentur* §. 12.

8.) *appellatio balnei germanica unde* §. 13.

9.) *definitio balnei eiusque explicatio* §. 14.

10.) *balneum an ſub nomine ædificii ac domus contineatur* §. 15.

11.) *Balneum refertur ad prædia urbana, immobilia ac publica* §. 16.

12.) *Balnea ſunt vel publica vel priuata* §. 17. 18. 19.

13.) *thermæ Achilleæ, Antiochianæ, Lavacrum Conſtantinopolitanum, thermæ Honorianæ, Commodianæ, Aquad. Hadria-*

*ni memorantur in Legibus & explicantur* §. 20. 21.
14.) *balnea alia virorum alia mulierum, & an hodie in uſu* §. 22.
15.) *balnea Eccleſiaſtica & thermæ Novatianæ* §. 23.
16.) *Cognata balnei ſunt fullanica, tonſtrina &c.* §. 24.
17.) *ordo Operis* §. 25.

## §. I.

Balneum a balineo fit, jota per ſynæreſin poëticam extruſo. ISIDOR. HISPAL. *d. different. n. 75. In proſa quotidiano ſermone balineum, in verſu balneum dicimus.* Balineum vero, a græco vocabulo, ἀπὸ τῦ βαλανεῖυ derivatur. VARRO *de Lingv. Lat. VIII. 41. Balineum novum & græcum introiit in urbem.* Confirmant hanc græcam derivationem litterarum utrinque convenientia, & ſecundum idiotiſmum cujusque linguæ a Græco in Latinam facta translatio. Etenim ultima ſyllaba ex τὸ βαλανεῖον, communi ac vulgata apud Latinos translatione mutatur in *um.* Sicuti dicitur in balnei partibus ἀποδυτήριον, περίςυλον. VARRO *de R. R. pr.* & vertit *apodyterium, periſtylum.* PLIN. *II. ep. 17. it. V. ep. 6.* In ſyllaba penultima jota Græcorum per derivationem fuit eliſum; ſicuti ipſo jam græco idiomate in derivatis inde vocabuli ει in ſimplex ε mutatur. Ita βαλανεὺς *balneator* apud Suidam: βαλανευτικὴ *balneatoria:* βαλανεύειν *in balneis miniſtrare.* POLLVX *VII. 33.* In antepenultima quod α græc. in ι Lat. translatum fuerit, eveniſſe arbitror ex uſu publico ac populari ad evitandam forte κακοφωνίαν duplicis α. Sicuti & alias frequens occurrit mutua harum vocalium inter

inter ſe permutatio e. g. τρατάνη trutina, κανάστρον caniſtrum &c. Add. BECMAN. *d. Orig. Lingu. Lat. voc. balneum.* VOSS. *de Litter. permut. Lit. A.*

## §. II.

Græcum vero τὸ βαλανεῖον unde deſcendat, grammatici inter ſe diſſentiunt, nonnulli veterum deducere id volunt παρὰ τὸ βάλλειν ἀνίας h. e. triſtitiam ſ. laſſitudinem ejicere, eo quod balnea laſſitudinem & mœrorem animi depellere credantur; quod etymon adfert AVGVST. *IX. Confeſſ. c. 12. viſum,* inquiens, *mihi eſt ut irem lautum, quod judicarem, inde balneis nomen inditum, quod anxietatem pellant ex animo.* it. ISIDOR. *XV. Orig. 2. circ. fin. Balneis nomen inditum a levatione mœroris; Nam Græci βαλανεῖον dixerunt, quod anxietatem animi tollat.* Add. DALDIAN. *Oneir. c. 66.* DIODOR. SICVL. *II. hiſtor. p. m. 139.* STÜCK *antiquit. Conviv. II. 25.* Verum ut ſcribit CAEL. RHODIG. *XXX. Lect. antiq. c. 17. hanc etymologiam rationibus pervincere grammatici conantur, quoniam ſi id verum eſſet etymon; ſcribendum fuerat per ſimplex jota, ſed modo per ει diphthongum ſcribitur, quod ſciunt omnes, hoc eſt βαλανεῖον.* Eodem facit, quod advertit CLEONARD. *meditat. in. græc. lingv. p. m. 294. n. 14.* quod ſc. derivata a βάλλω efferantur per ο non α: e. g. βολὴ, προσβολὴ, συμβολὴ &c. vel etiam duplex λλ uti βαλλιστὴς *ſaltator*, βαλλισμὸς *genus ſaltationis.* Porro ſcribendum foret per αι, ut ſic αι, quod in ἀνίας eſt, ſubintelligeretur expreſſum, & inde Lat. quoque *balinæum* per diphthongum. Verum hac lectione in emendatiſſimis etiam tam Latinis quam Græcis auctoribus aut Codicibus non reperitur. Transmitto plures litte-

rarum extruſiones, quæ omnes, admiſſa hac notatione, forent ſupponendæ, quod grammaticorum regulis habetur contrarium. QVINTIL. *Inſtit. Orat. I. 9.* Accedimus ergo illorum ſententiæ, qui τὸ βαλανεῖον à græco ἡ βάλανος, quod eſt glandis genus. HESIOD. *in* ἐργ. *v. 230.* POLLVX *II. 22.* THEOPHRAST. *III. hiſtor. plant. 10.* OLAVS WORM. *in hiſtor. rar. III. 6.* deducunt, id quod facit SVIDAS, inquiens, βαλανεῖον τὸ λοῦτρον παρὰ τὸ βαλάνους, παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ὑποχαίεσθαι. *i. e. balneum dicitur lavacrum, quod antiqui ad illud ſuccendendum glandes ſubjicere ſoliti eſſent.* it. βαλανεῖον ἐκλήθη διότι τὰς βαλάνους ἐσθίοντες τὰ κελύφη ἔκαιος. *Balneum vocatum eſt, quia balanos comedentes putamina comburebant.* Balanos ſc. glandes multiplici in uſu habebant veteres, tum ad unguenta, unde oleum balaninum. DIOSCOR. *I. 40.* THEOPHRAST. *d. Odor. p. 184.* quod lienoſis in potionem porrigi tradit, SCRIB. LARG. *Compoſ. Med. 129. c. 32.* atque inter epulas habebant, quo caput perungerent. HORAT. *III. Carm. Od. 29.* MARTIAL. *apophoret. diſt. 57.* tum denique ad victum & potum adhibebant, unde inter dapes refert PLIN. *hiſt. nat. XV. 23.* MARTIAL. *V. epigramm. 75.* & vinum de balanis confectum meminit DIOSCOR. *I. 43. IV. 160.* Nuce igitur balani interiore ad victum utebantur, exteriorem autem corticem cremabant, putaremque veteres cortices balanorum maxime adhibuiſſe ad primum ignem excitandum, cum eſſet materia ſicca ac arida, & facile ignem concipere ac fovere poterat. Unde & VLPIANVS *balanum* refert inter faces & materias ad comburendum parabiles *l. 167. ff. de V. S. & l. 55. §. 1. d. leg. 3.* Ex hoc igitur βαλανὸς facillime βαλανεῖον dedu-

deducitur. Siquidem duæ priores ſyllabæ jam conveniunt; ultima vero ſyllaba ἐκ βάλανος, concurrente duplici Dorica atque Attica dialectu in duas rurſus ſyllabas in derivatione diſceſſit. Dores enim pro ο frequenter aſſumunt ε, uti ἀνδρέφονος Dor. pro ἀνδροφόνος. Attici vero ο in ι ſæpius mutant, e. g. δευρὶ Attic. pro δευρὸ it. βαλανεὶς Attic. pro βαλανεὺς. PHRYNICH. *diction. Attic. p. m. 36.* Ultimum denique σ in υ mutatum propter terminationem nominalem ac uſualem dialectus Aeolicæ, quæ frequenter σ in υ mutat. WELLER. *grammat. græc. diſt. V. Art. 3. n. 13. o. 3.*

## §. III.

Cœpiſſe balnei vocem maxime poſt inſtituta Olympica Græcorum certamina arbitror, in hæc enim tempora memoria conditorum in Græcia balneorum potiſſimum incidit, & ipſum quoque græcum vocabulum, unde Latinum deſcendit, apud Scriptores, qui poſt illa tempora floruerunt, reperitur. Ex iſto dein tempore per omnes linguæ Latinæ ætates ad noſtram usque deſcendit. Legitur ex aureæ ætatis ſcriptoribus apud CICER. *Orat. pro Deiot. c. 6. it. L. 9. fam. ep. 22. in f. ad Attic. XIII. ep. 50. & paſſim;* apud LIVIUM *XXIII. 7.* & alios. Inter argenteæ ætatis ſcriptores eſt apud TACIT. *XIV. Ann. 64. XIV. c. 11.* SENECAM *de brev. vit. c. 12. de vit. beat. c. 7.* CELS. *Medicum IV. 4. 21.* IUVENAL. *Sat. VI. v. 375.* MARTIALEM *IX. ep. 20. utrumque* PLINIUM & plures. Inter æneæ ætatis ſcriptores uſurpant Capitolinus *in Pertin. c. 12.* LAMPRID. *in Heliog. c. 31.* SPART. *in Adr. c. 18.* TERTULLIANUS *in apologet. c. 40. & alii.* Ex ferreæ ætatis ſcriptoribus citandus

SIDONIVS APOLLINARIS *l. ep. 8.* & ſi qui ſunt alii. Ab hiſce ergo auctoribus ad uſum usque hodiernum illud vocabulum eſt propagatum, idemque & idiomate imperii receptum eſſe, teſtantur Leges ac Capitularia Francorum, it. Digeſta, Codex ac Novellæ, tanquam jura imperii communia, in quibus vox iſta citatur, nec non ſcripta publica quæ proſtant, & publica auctoritate in foro aut cathedra verſantur; ſicuti teſtimonia in progreſſu videbimus.

## §. IV.

Multiplici autem notatione vox balnei in Legibus occurrit (1) dicitur pro *cura,* ac *inſpectione* balnei; quo ſenſu calefactio balnei inter munera civitatis perſonalia Curatori defertur, non ut ipſe calefaciat, ſed potius curam calefaciendi ac præbendi publice gerat *l. 1. §. 2. ff. de muner. l. 18. §. 5. ff. eod.* quod olim erat Aedilium, (2) ſignificat *inſtructum* atque adparatum balnei, & omnia ea complectitur, quæ tum ad quotidianam tutelam, tum ad præbitionis & calefactionis onus, tum denique quæ ad purgandum balneum ac neceſſariam refectionem pertinent. *l. 35. §. 3. d. leg. 3. l. 55. §. 3. eod.* (3) Sumitur pro lavacro corporis in *l. 11. §. f. C. d. repud. Nov. 22. c. 16.* ubi fœminis interdicitur communi cum viris balneo uti, & v. v. i. e. lavare cum viris, ſicuti explicat *Nov. 117. c. 8. §. 4.* & GELLIVS *N. A. X. 3.* inquiens *nuper Theanum Sidicinum Conſul venit, uxorem dixit in balneis viribus lavari velle.* Eodem ſenſu occurrit in *l. 6. C. d. metat. & epidem.* qua militibus inferioris ordinis interdicitur, ne balneum ab ædium poſſeſſoribus exigant, quod dein per

lava-

lavacrum explicatur *in rubr. l. un. C. ne rei milit. comit. vel trib. lavacra præſt.* nec ſolum notat balneum ædificium, ſed etiam omnia, quæ ad lavandum corpus deſtinantur, uti ſunt lintea &c. *l. 8. Baſilic. de met. & epidem.* CVIAC. *ad d. l. un. C.* (4) frequentiſſime ac communiter ſignificat ipſum *ædificium* conſummatum ad lavandi uſum exſtructum, & eo quidem reſpectu non tantum legitur de balneo privato *l. 5. C. d. ædif. priv. l. 40. §. 1. ff. d. aur. & arg. leg.* & ſic porro; ſed etiam de publico *l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. l. 80. §. 1. ff. ad leg. falcid. l. 11. C. d. oper. publ.* & paſſim, quem ſignificatum probant etiam PLIN. *III. ep. 14. in f. ita balneum illi, quaſi per gradus quosdam, primum contumeliæ locus, dein exitii fuit.* De balneo publico porro ab Imp. condito hæc vox legitur in veteri inſcriptione apud GRVTER. *p. 178. num. 3.*

BALNEVM AVRELIANVM EX LIBERALITATE IMP. CAES. M. AVRELII PII FEL. AVG. &c.

§. V.

Vſus quoque varia induxit ſynonyma, quibus balnei vox variatur, ut ſunt; (1) *Balineum.* Balnei quidem an balinei vocabulum ſit uſu antiquius, certis grammaticorum teſtimoniis non conſtat, qui illud ex ſcriptorum & marmorum fide promiſcue uſurpant; utrumque certe antiquum eſſe & maxime coætaneum ex inſcriptionibus vetuſtis probat MANVTIVS atque CHRISTOPHORVS CELLARIVS *in Orthographia latina p. 91.* motus maxime auctoritate Soſipatris, veteris Grammatici,

qui

qui *p.76.* ait: *balneum veteres dixerunt, ſive balineum.* Militat tamen pro balineo, quod ſit ſimplex & ſine contractione, propiusque ita ad notationem græcam accedat, & præterea apud PLAVTVM antiquiſſimum fere ſcriptorem frequentius legatur, ubi raro vel nunquam balneum invenies, ex iſto tamen tempore uſum utriusque vocis promiſcuum obtinuiſſe invenies. Et initio quidem balineum ſaltem de publicis balneis dicebatur, cum antiqui privatum, non balineum, ſed lavatrinam appellare conſueuiſſent. VARRO *d. Lingv. Lat. VIII. 41.* Aſt poſtea ad imitationem publici moris, domi ſuæ quisque ubi lavabatur, balineum ac balneum dixit, ſine diſcrimine publici ac privati. CHARIS *Inſtit. Gramm. I. p. m. 76. Balneum veteres dixerunt, ſ. balineum, nihil enim differt publicum a privatis.* In Legibus certe promiſcua uſurpatione legitur modo balneum, uti habet AFRICANVS *l. 9. ff. qui pot. in pign.* VLPIANVS *l. 41. §. 2. ff. d. his qu. not. infam.* CONSTANTINVS *Imp. l. 22. C. d. adminiſt. tut.* modo balineum. VLPIANVS *l. 41. §. 8. ff. d. leg. 1.* SCAEVOLA *l. 35. §. 3. d. leg. 3. Paulus l. 19. d. S. U. P. & alibi.* In Pandectis Florentinis frequentius balineum, legi, auctor eſt BRISSON. *Lex. Jurid. voc. balnea.* in vetuſtis inſcriptionibus itidem ſine diſcrimine reperies æquali ſignificatu vel balneum, GRVT. *inſcript. p. 178. n. 3. 180. n. 6. 181. n. 2.* vel balineum. Vid. GRVT. *l. c. p. 174. n. 8. 181. n. 4.*

## §. VI.

Secundo dicitur LAVACRVM *l. 4. C. d. diſcuſſor. l. 5. C. d. pagan. l. 52. C. Th. d. oper. publ. l. 13. C. Th. d. navicul. cap. 28. Diſt. 81.* Occurrit hæc denominatio in Reſcriptis Imper-

per.

per. tantum, nec in Pandectis habetur; Nec ſolum de balneis publicis legitur *l. 4. C. d. diſcuſſ.* Sed etiam de balneis privatorum, quæ ædibus ſunt juncta *l. 3. C. Th. d. aquæd.* In inſcriptionibus dicitur etiam *Lavatio*, uti ex *Steph. Pighio* extat ap. GRVT. *inſcript. p. 181. n. 2.*

BALINEVM ET LAVATIONEM SOLO PRIVATO GRATVITAM IN PERPETVVM DEDIT.

it. lavacrum thermarum. GRVT. *p. 1079. n. 2.* Trahit originem ſuam a Græcis, quibus balnea antiquitus λόετρα τὰ θέρμα i. e. lavacra calida vel contr. λȢτρα a λȢ́ειν lavare vel λȢ́εσθαι lavarari dicebantur. EPICT. *Arrian. III. c. 24. p. 377. & 394.* PLVTARCH. *d. tuend ſan. p. 128.* HOMER. *Odyſſ. X. v. 361.* HESIOD. *Op. & dier. II. 751.* STVCK. *Antiquit. Conviv. II. 25.* PANCIR. *Var. Lect. L. I. c. 52.*

## §. VII.

Multitudinis nomine balneæ it. balineæ. PHOC. *in art. p. 1706.* NON. MARCELL. *d. propr. ſerm. c. 3. n. 24.* Dicuntur vero in ſpecie balneæ in plurali & plerunque de balneis publicis *l. 30. §. 1. ff. locat. l. 91. §. 4. leg. 3. l. 35. §. 3. d. leg. 3.* quod probant etiam CONSENT. *d. art. grammat. p. m. 2026.* CHARIS. *Inſtit. grammat. L. I. p. m. 76.* De privatis tamen balneis etiam recte balneas dici conſtat ex *l. 1. C. Th. ne Comit. & Trib. lav. præſt.* ibi: *nec ullas priuatas ab his ſuccendi balneas.* diſerte CAPITOL. *in Gord. c. 32. Opera Gordiani nulla extant præter quædam nymphæa & balneas, ſed balneæ privati hominis fuerunt, & ab eo in uſum privatum exornatæ. Add. l. 3. C. Th. d. aquæd.* GRVT. *Theſ. inſcript. p. 441. n. 3. cap. 24. C. XXIV. qu. 1.*

Eandem etiam vocem numero ſingulari legi tradit DIOM. *d. art. grammat. cap. d. Specieb. n. 314.*

§. VIII.

Thermæ appellata ſunt balnea, quod caleant. Græci enim θερμὸν calorem vocant. ISIDOR. *Orig. 2. in f.* ATHEN. *Deipnos. l. 5.* Publica autem & majora maxime lavacra thermas dicere conſueuerunt *l. 1. §. 2. ff. d. mun. & hon. junct. l. 18. §. 5. ff. eod. cap. 24. X. d. Elect.* Unde & Symmachus hanc notationem vocum videtur diſcernere, dum *VI. ep. 49.* ait: *Thermarum mihi ſitus & amplitudo admodum placuit; In minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quam muſivo excoli, non probavi.* ſimiliter diſcernit inter ſe thermas & balnea IVVEN. *Sat. VII. 231.* & inſcriptiones vetuſtæ apud GRVTERVM *in Theſaur. p. 376. n. 5. it. p. 1079. n. 2.* plurimumque uſurpantur de balneis Imperatorum memoria conditis. *l. 11. C. d. oper. publ. l. 5. l. 6. C. d. aquæd. l. 131. C. Th. d. decur. Add.* EPICTET. *Arrian. II. 16.* SPART. *in Sev. c. 21.* GRABALD. *de æd. part. L. Ic. 10.* FABRIC. *deſcript. Rom. cap. 19.*

§. IX.

Officinas nominat VLPIANVS in *l. 4. §. 2. ff. d. his qui. not. infam.* ſimilem in ſenſum capio illud APOLLIN. *IX. ep. 13.*

*Bimari remittat urbe*
*Thymelen Balenque doctas*
*Tepidas ad officinas*

Sicuti proinde legitur officina fullonum, qui lavandis veſtimentis dabant operam, *l. 3. ff. d. aqu. pluv. arc.* ita ad

ad horum exemplum balnea officinas dicit ICtus, quod in illis lavandis corporibus operentur balneatores.

§. X.

Balnearia vocat PROCVLVS ICtus *l. 13. pr. ff. d. S. U. P.* per ellypſin ſc. ædificii, quæ lectio probatur dicto SENECAE *IV. N. Q. c. 9. quemadmodum minora balnearia & minora miliaria citius caleſiunt.* it. CICER. *ad Attic. XIII. ep. 29. balnearia tamen laudat maiora, de minoribus ait hyberna effici poſſe.*

§. XI.

Speciali ratione *Privatum* appellatur in concreto *l. 12. C. Th. de metat. & epidem.* quod in transſumta inde *l. 6. C. eod.* TRIBONIANVS explicat per *balneum* & aperte privatum balneum dicitur in *l. un. C. ne rei milit. Comit. lavacr. præſt.* Diſſentiunt autem inter ſe interpp. an *balneum* in *d. l. 12. C. Th.* per incuriam amanuenſium in authenticis exemplaribus fuerit omiſſum; an potius lectio ſit defendenda. Poſteriori ſententiæ accedit CVIAC. *ad l. 6. C. d. metat.* vbi vult, quod boni etiam auctores privatum ſimpliciter pro balneo dixerint. Idem tamen ad rubricam & *l. 1. C. de ædif. priv.* refert, in hac denominatione parti balnei adtribui nomen totius. Verum cum idoneis ſcriptorum locis deſtituatur, merito prior explicatio ſuſpecta nobis videri poteſt; diverſam opinionem adfert TABOR *in Comment. ad tit. Cod. d. met. & epidem.* qui dictum *Privatum* eſſe autumat per ellypſin, ſubintelligendo vocem *balnei*, quia in Reſcriptis concordantibus per hoc vocabulum explicatur. *Part. II.*

*cap. 6. n. 11.* Quam quidem notationem non improbamus, placet tamen & illa, quæ ex forma ſtructuræ antiquæ peti poteſt; ſecundum hanc ſc. loca ædificiorum diſcernuntur in communia, quæ intrandi poteſtas quibusvis competit ex publico humanitatis jure, etiam non vocatis, uti ſunt; *atrium, veſtibulum &c.* Alia propria ſ. privata, quæ introeundi omnibus æqua poteſtas non erat, niſi invitatis, & hæc erant *cubicula*, *triclinia*, *balneæ*, hæ enim frequenter inter ipſas diætas privatarum ædium exſtruebatur. *l. 13. §. 8. ff. d. uſufr. l. 95. §. 3. d. leg. 3.* VITRVV. *d. Architect. VI. 8.* Ab uſu igitur privato ac proprio, & balnea dici poſſunt *Privata*, quod in privatiſſimo domus receſſu atque uſu exiſtant. Eodem modo *l. 5. C. Th. d. metat. l. 13. C. Th. eod.* dicitur: domum hoſpitiorum in tres partes fuiſſe diuiſam; Prima & ſecunda, quæ vocaverit domini uſibus *l. 2. C. d. met. Nov. 130.* tertia hoſpitibus. *dd. txx.* Ex his ergo partibus, quæ domino relinquebatur ad uſum ſuæ habitationis, eidem privata, authentica & propria dicebatur, *d. N. 130. c. 9.* & non ſolum ergaſteria *d. l. 5. C. Th. d. metat.* ſed & præcipue balnea complectebatur *l. 13. §. fin. ff. de uſufr.* & inde recte privati nomine intelligi poſſe arbitror, cum uſu vocis grammatico *privatum* nihil aliud ſignificet, quam ſingulare quid & maxime proprium, cujus uſu nimirum jure ac facultate fruendi, extranei ſunt privati.

## §. XII.

Porro in Græcis Conſtitutionibus græcanica voce dicitur τὸ βαλανεῖον. *Edict.* IVSTIN. *XIII. c. 14. & ſeqq. l. 26. C. d. epiſc. aud.* quæ & appellatio legitur in HARME-

MENOP. *promptuar. Synopſ. L. II. t. 4. rubr.* περὶ βαλανείου κτίσματος it. ap. THEOPHILVM *in paraphr. Inſtit. de libert. §. 3.* it. Legitur τὸ βαλανεῖον δημόσιον. *Nov. 149. cap. 2.* Comprobaturque hæc lectio vetuſtis inſcriptionibus apud GRVTER. *Theſ. inſcript. p. 315. n. 10. p. 316. num. 1.* Porro λουτρὰ *l. 3. pr. & §. 1. C. d. his qui ad Eccleſ. confug.* dicuntur λουτρόνικα *l. 4. pr. C. d. diſcuſſ.* quod proprie domum lavacri ſignificat, dictum ſc. a λουτρὸν & οἶκον, χρηστήριον quoque HARMENOP. *II. t. 4. rubr.* περὶ χρηστηρίων G. MERCERVS eiusdem interpres vertit in rubrica & textu, *Vnctuarium ſc.* lavacrum. Nec incongrue, ut patet ex *l. 19. pr. ff. d. S. U. P.* cum qua lege iſte paragraphus Harmenopuli penitus congruit, vtrinque enim agitur de exſtructione balnearii juxta parietem communem, & veroſimiliter hic textus in Libros Βασιλικῶν translatus, & inde rurſus ab Harmenopulo ad ſuam ſynopſin eſt excerptus. Quod autem hic vocat χρηστήριον, ICtus in *d. l. 19.* dicit tepidarium. Vnctiones enim balneares antiquitus in tepidariis fiebant, erantque in balneis unctuarium & tepidarium plerumque una cella, quæ alias in adnexis gymnaſiis diſtinguebantur. CELSVS *de re med. L. I. c. 4. Si in balneum venit, ſub veſte primum paulo inſudare in tepidario, ibi ungi, tum tranſire in calidarium.*

## §. XIII.

Germanice denique vulgata omnibus notione dicuntur, *Bad, Bäder, Badſtuben* à græco βάπτειν HENISCH. *Theſ. Lingu. germ. ſub lit. B.* Jure Lubecenſi dicuntur *Stafen*; in Privil. *des Barbier. Ambts* de anno 1580. art.

12. *Die Badſtöver, welche ſcheren mögen in denen Stafen als gebräuchlich iſt.* In litteris balneaticis ſæpe vocantur *Werckſtätte*, quæ etiam appellationes in Receſſibus Imperii occurrunt.

§. XIV.

Ex diverſis igitur iſtis appellationibus variisque ſignificatibus, illa noſtri eſt inſtituti, qua vulgato ore Balneum dicimus, & per illud ædificium ſignificamus. Eſt enim nobis hoc loco Balneum nihil aliud, quam ædificium ad lavandum curandumque corpus legitime inſtructum.

§. XV.

Genus ergo balnei facimus ædificium, vtpote quod eſt latius, & omne in uſum humanum ædificatum complectitur. *l. 9. in f. ff. d. incend. l. 30. ff. d. uſucap. l. ult. ff. d. Offic. præſ.* inde in Ordinationibus Provincialibus ac Statutis ædificia ac balnea una rubrica frequenter conjunguntur tit. *Von den gemeinen Häuſern und Badſtuben*, & iura de ædificiis diſponentia recte etiam de balneis interpretamur, quo facit textus expreſſus VLPIANI *l. 41. §. 8. d. leg. 1. Hoc Senatus conſultum non tantum ad ædes, ſed ad balnea, vel aliud quod ædificium, vel porticus ſine ædibus, vel tabernas vel popinas extenditur.* Cæterum habitationis aut domus ad habitandi uſum ſpeciatim paratæ nomine balneum non continetur. *arg. l. 12. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* & inde aperte inter ſe diſtinguuntur *l. 6. C. d. aquæd. in f. verb. circumeundo domus ſub urbana, balnea. Add. l. 13. §. 8. d. uſufr. in f. verb. quaſi do-*

*mum*

*mum locare, nec balneum ibi faciendum.* Verumtamen eatenus balneum portio domus eſſe intelligitur, quatenus cum eadem eſt junctum, & intrinſecus e domo adiri poteſt, dilucide referente PAPINIANO *l. 91. ʃ. 4. ff. d. leg. 3.* Nec etiam licet invito domino domum in balneas convertere, ſecus faciens, præter jus ſoli, quo res ſuperſtructa domino cedit, actione Legis aquiliæ tenetur, lege expreſſa *50. ff. ad leg. aquil.* In criminalibus tamen, ubi agitur de delictis in ædibus vel circa ædes patrandis, ſub nomine domus recte etiam intelligitur balneum. Et hinc Lex pœnalis, quæ domus incendere prohibet, recte & incendiarios balnei complectitur. Neque enim in definiendo incendio ac decernenda incendii pœna, ad qualitatem loci aut domus combuſtæ reſpiciendum eſt, ſed potius ad damnum ex incendio imminens: nec refert, an ædificium, in quibus incendium factum, ad inhabitandum vel res conſervandas, aut etiam alium in finem ac uſum fuerit exſtructum. CARPZ. *Prax. Crim. Part. I. qu. 38. n. 32. 33. & ſeqq.* Porro quær. an Conſtitutio de non violanda pace domeſtica *von den Hauſsfriedbruch* pertineat etiam ad balnea? Reſp. *Aff.* dictæ enim conſtitutionis ratio fundatur in ſecuritate publica ac privata, quæ æque balneis ac domibus eſt præſtanda. *t. t. ff. ad leg. Jul. d. vi publ. & priv. ib. interpp.* Porro quær. An forenſis vel alius, cui ſtatuto interdictum eſt acquirere domum, prohibitus quoque cenſeatur acquirere balneum? Aff. SPRENG. *d. ædif. cap. 5.* Porro & ſub domibus meritoriis recte etiam balneum habetur, quia in publicum quæſtum præbetur *l. 91. ʃ. 4. ff. d. leg. 3. l. 13. ʃ. 8. ff. d. uſufr.* Et

inde

inde ad onera publica, quæ domibus meritoriis ex quæſtu imponuntur, recte conferre debent balnea.

## §. XVI.

Referimus autem balnea ad ædificia urbana, licet in villis ſint extructa, quia uſus illorum urbanus habetur, curandi ornandique corporis cauſa inſtitutus *arg. l. 198. ff. d. V. S. l. 1. pr. ff. commun. præd.* atque idcirco diſerte a Conſtantino Imp. inter prædia urbana recenſentur *l. 22. C. d. admin. tut. verb. urbana etiam prædia & mancipia, domus, balnea, horrea atque omnia quæ intra civitatem ſunt,* rebusque immobilibus ibidem annumerantur. In uſum vero communem exſtructa balnea, ad opera Civitatis publica pertinent, quorum ornatus ac cura ad civitatem & magiſtratum municipalem refertur *l. 19. C. d. oper. publ. l. 11. C. eod.* GREGOR. THOLOS. *d. rep. II. c. 9. n. 4.* FAVST. ab ASCHAFFENB. *Conſil. pr. Aerar. Claſſ. X. ord. 774.*

## §. XVII.

Balnea quidem, quatenus pro lavacris ac lotionibus capiuntur, latiſſimam interpretationem ac diviſionem recipiunt. Ad noſtrum tamen inſtitutum illa ſpectat diviſio, qua alia dicuntur privata, alia publica. MARTIAN. *Topograph. Urb. c. 7.* POLYDOR. VERGIL. *d. Rer. invent. L. III. c. 13. fin.* ait: *Fuit mos priſcorum quotidie lavari, quod ea res, credo, teſte Celſo, ad proſperam valet conſervandam valetudinem. Ex quo uſu venit, ut civis quisque pro opibus PRIVATA haberet balnea; ſed poſtea creſcente principum luxuria, PVBLICA balnea habere cœpere*

*pere quippe loca aſſignata erant, quæ aut aquis calentibus aut igne calefactis lavandi ſudandive uſum præberent, quæ græce thermas appellarunt, & cum alibi, tum Romæ in modum provinciarum videbantur extructæ, in quibus plebs etiam lavaretur.* Privatorum rurſus duo ſunt genera; quædam ſunt in uſum domus ac familiæ exſtructa, quæ proprie balnea privata dicuntur, atque uſibus domini privatis vacant. *l. 13. §. 8. ff. d. uſufr. l. 8. §. fin. ff. ſi ſerv. vind. l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* Suas enim quisque balneas domi fere habebat, præſertim nobiles cives ad uſus privatos ALEX. DONAT. *de Urb. Rom. L. III. c. 19.* Quædam in uſum alicujus ordinis e. g. militaris aut officii peculiarem erant exornata, quorum poſteriorum exemplum refert *l. un. C. ne rei milit. Comit. lav. præſt.* ibi enim balnea privata non ſunt ea, quæ domibus privatis juncta, de quibus agit *l. 6. C. d. met. & epidem.* ſed balnea provincialia a Civitatibus ac Curiis in privatum militum uſum paranda, & meminit ejusmodi balneorum vetus inſcriptio ap. GRVTER. *p. 73. n. 5.* Balnea igitur privata uſibus domeſticis ſunt propria *l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3* nec citra domini conceſſionem converti in publica poſſunt. *arg. l. 13. §. fin. ff. d. uſufr.* Volente tamen domino, recte *l. 35. §. 3. d. leg. 3.* ita & M. Agrippa moriens populo hortos & balneum a ſe denominatum legavit, ut gratis lavaretur publice, teſte DIONE *L. III.* NARDIN. *Rom. vet. L. VI. c. 4.* BORRICH. *Rom. fac. c. 14.*

## §. XVIII.

Balnea publica ſunt, quæ ad uſum lavandi omnibus patent *l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. l. 13. §. 7. ff. d.*

 *injur.*

*injur.* Memorat illa LAMPRID. *in vit. Heliogab.* dum ait: *Lavacrum publicum in ædibus aulicis fecit, ſimul & palam populo exhibuit.* Add. *Novell. 149. c. 2.* Nec intereſt, an ipſe magiſtratus balnea per Curatores civitatis publice præbeat, uti *l. 18. §. 5. ff. d. mun. & honor.* aut per conductores penſionarios eadem exerceat; uti in *l. 30. §. 1. ff. loc.* quæ, non incongrue quæſtuaria dixeris, a publico quæſtu: Sive alius, conceſſo a ſuperiori exercendi balneatoriam privilegio, balnea exhibeat; publicum enim hic dicitur non a perſonis, quæ præbent balneum, ſed ab uſu, qui eſt omnibus communis. Vocantur hodie *gemeine offene Badſtuben* it. *offene Werckſtätte*, KNIPSCHILD *de Jur. Civit. Imperial. L. II. c. 16. n. 16.* Nec porro ſolum illa balnea pro publicis ſunt reputanda, quæ exſtrui magiſtratus publice curavit; ſed etiam quæ privatus in uſum publicum dedicavit, licet proprietatem vel ſibi, vel ſuis ſucceſſoribus reſervaverit; & deinde in denominatione, juribus ac privilegiis æquali cum iſtis jure cenſenda, niſi quod in his prius ad fundationis leges ſit reſpiciendum, arg. *l. 35. §. 3. d. leg. 3.* Et hinc balineum, quod hæres municipibus publice exſtruere juſſus erat, theatris ac ſtadiis, operibus ex omnium confeſſo publicis, recte jungit GAIVS *JCtus in l. 80. §. 1. ff. ad leg. falcid.* verb. *neque enim ullum balineum aut theatrum aut ſtadium feciſſe intelligitur.*

## §. XIX.

Hæc rurſus ſunt vel GRATVITA, quæ gratis dato olim oleo & lavatione, vel publico vel privato ſumtu, publice præbebantur; qualia memorantur *l. 30. §. 2. ff. loc.*

*loc. l. 35. §. fin. ff. d. leg. 3.* & exemplum de Antonino Pio refert CAPITOL. *in vit. ej. c. 7. Balneum quo uſus fuiſſet, ſine mercede populo exhibuit.* & jam ante eum M. Agrippam in ædilitate ſua gratuita balnea centum & ſeptuaginta præbuiſſe, memorat PLIN. *H. N. L. 36. c. 15. in f.* Vel MERITORIA, quæ ad quæſtum & publicam mercedem locantur. *l. 9. ff. qu. pot. in pig. l. 91. §. 4. d. leg. 3. l. 3. C. Th. d. collat. donat.* quæ memorat PLIN. *II. ep. 17. in fin. In hoc balinea meritoria tria, magna commoditas, ſi forte balineum domi, vel ſubitus adventus, vel brevior mora calefacere disſuadeat.*

§. XX.

Publica æque ac privata balnea tam in urbe, quam provinciis apud Romanos fere fuerunt innumera; teſtatur *de Alexandro* LAMPRID. *c. 39. Balnea omnibus regionibus, quæ forte non habebant, fecit, nam hodieque multa dicuntur Alexandri.* POLYDOR. VERGIL. *d. Rer. Invent. L. III. c. 13. in f.*

§. XXI.

Ex his tamen quæ in Conſtitutionibus Impp. memorantur ſunt (1.) THERMAE ACHILLEAE *in l. 6. C. d. aquæd.* quod eſt Theodoſii & Valentiniani reſcriptum. Harum meminit Cedrenus & Socrates: & quidem ille Achilleas dictas putat, quia poſitæ juxta altare Achillis. GOTHOFR. *in not. ad d. l. 6. C.* (2) THERMAE ANTIOCHIANAE in Theodoſii M. Arcadii & Honorii Conſtitutione *l. 131. C. Th. d. decur.* a Valente Imp. Antiochiæ conditæ. AMM. MARCELL. *L. 31. pr. Antiochiæ per rixas tumultusque vulgares id in conſuetudinem venerat, ut quisque vim ſe pati exiſtimaret, Vivus ardeat Valens, licentius cla-*

*mitaret, vocesque præconum audiebantur aſſidue, mandantium congeri ligna ad Valentini lavacri ſucceſſionem, ſtudio ipſius principis conditi.* Idemque lavacrum magna ex parte conſumtum incendio, reſtaurare juſſit Theodoſius ſen. teſte EVAGRIO *l. hiſtor. Eccleſ. c. 20.* (3.) LAVACRVM CONSTANTINOPOLITANVM, de quo HONORIVS & THEODOSIVS *l. 19. C. d. oper. publ. l. 52. C. Th. eod.* Varia Conſtantinopoli erant lavacra; Aliud quod SOZOMENVS *hiſt. lib. VIII. c. XXI.* Κωνσταντίου βασιλέως ἐπώνυμον vocat. Hoc, uti ex nomine ſtatim patet, a Conſtantio Conſtantini M. filio fuit exſtructum. SOCRATES quoque *hiſt. Eccleſ. libr. IV. cap. VIII.* τὸ Κωνσταντίου πόλεως δημόσιον λουτρὸν ᾧ προσωνυμία Κωνσταντιαναί. lavacrum publicum Conſtantinopoleos, quod dicitur Conſtantinianum, adducit; Loquitur autem ibi Socrates de Valente Imperatore, quod lapides ex muris Chalcedonis urbis ex adverſo Byzantii ſitæ ad thermas iſtas transvehi juſſerit. Quare Henricus Valeſius ibi legi mavult Καρωσιάναι quam Κωνσταντιαναὶ, eo, quod ex nomine ſtatim pateat, quod Conſtantianæ Conſtantium auctorem habeant: hic autem de Valente ſermo ſit. Caroſianæ vero thermæ a Valente abſolutæ ſunt & dedicatæ poſt Conſulatum Gratiani III. & Aequitii, ſub præfecto Vrbis Conſtantinopolitanæ, Vindalonio Magno, ut auctor eſt IDATIVS *in faſtis* & auctor *Chronici Alexandrini.* Dictæ autem ſunt a Caroſia, Valentis filia, atque erant in regione ſeptima urbis Conſtantinopolitanæ. AMMIANVS quoque MARCELLIN. *libr. III. pr.* lavacrum a Valente apud Conſtantinopolim ex murorum Chalcedonenſium lapidibus exſtructum fuiſſe docet: cum Cedrenus & Zonaras non lavacrum

ſed

ſed aquæductum ædificatum eſſe velint. Quæ tamen inter ſe non pugnare, recte judicat Valeſius, cum ad lavacrum omnino requiratur aquæductus. Meminit iſtius operis THEMISTIVS *in oratione decennali ad Valentem*, & GREGORIVS NAZIANZENVS *orat. XXV.* Aliud in urbe Conſtantinopoli lavacrum erat BALNEVM ZEVXIPPI ſeu thermæ Severianæ Seuxippi dictum, de quibus *lex 19. C. de operib. publ.* agit. Balneum illud a Severo Imp. Byzantii exſtructum, uti teſtatur SVIDAS in voce Σιβῆρ & PROCOPIVS de ædificiis Iuſtiniani *orat I. p. 37. edit.* MOGVNT. ait: *dein ex regiis balneum, quod Zeuxippus dicitur, a Severo Imp. Byzantii, ſeu Conſtantinopoli exſtructum.* Mentionem ejus facit SOCRATES *II. c. XVI.* SOZOMENVS *lib. III. cap. IX.* atque alii. Cur vero hæ thermæ dictæ fuerint Zeuxippi, videre licet apud EVSEBIVM *in Chron. n. 157.* Potiſſima ratio ex hac lege deſumi poterit. Scilicet ipſas thermas exſtruxerat Severus Imp. has vero porticibus ornaverat Zeuxippus. In his porticibus domos & officinas privati multas habebant exſtructas, procul dubio ad vendendum, quæ ad lavacri uſum eſſent neceſſaria. Ex his officinis certa ſolvenda erat penſio vel ſalarium: hoc autem ad præbenda luminaria & ædificia ac tecta reparanda ſine aliqua excuſatione conferri jubet Theodoſius. Aliud adhuc lavacrum in urbe Conſtantinopoli erat, quod Clearchus Præfectus urbi in foro Theodoſii exſtruxerat, δαψιλὲς ὕδωρ id eſt copioſam aquam adpellatum, ex aquæductu Valentis ædificatum, de quo SOCRATES *lib. IV. cap. VIII.* Mentio quidem fit in GRVTERI *inſcript. p. 178. n. 1.* thermarum, quas fiſci ſui ſumtibus cœperit ac perfece-

fecerit Conſtantinus, Magni filius, ſed hæ ad urbem Conſtantinopolim non faciunt, ſed ad thermas Galliæ, quod ex fine patet, ubi dicitur: CIVITATI SVAE REMORVM PRO SOLITA LIBERALITATE LARGITVS EST. Ipſi enim, in diviſione inter fratres, Gallia atque transalpinæ provinciæ obvenerant (4.) THERMAE HONORIANAE in Conſtitutione HONORII & THEODOSII jun. occurrunt *l. 50. C. Theod. de oper. publ.* Habent etiam hæ, uti & reliquæ, nomen ab auctore, atque collocantur in regione V. urbis Conſtantinopolis. Addidit illis Theodoſius Iunior porticus. Cum autem privatorum loca ſeu ædificia nonnulla occupari oportuiſſet, Imperator permutatione quadam baſilicam vetuſtam privatis tribuit, & ab his occupari jubet. (5.) Erant etiam THERMAE COMMODIANAE, quarum fit mentio in fine *l. 3. C. Th. de pactis & transactionibus* in conſtitutione Valentiniani ſen. verb. *dat. VIII. Id. Febr. alleg. Kal. Apr. in Baſilica Thermarum Com.* quas GOTHOFREDVS pro Commodianis habet. De his thermis agit LAMPRIDIVS *in vita Commodi c. XVII. verb. opera ejus, præter lavacrum, quod Cleander nomine ipſius fecerat, nulla extant.* HERODIAN. *in vita Commodi* vocat λουτρὸν δημόσιον lavacrum publicum. Eas in regione urbis prima ponit PANCIROLLVS. (*6.*) Inter aquæ ductus, unde aquæ in balnea ac thermas deducerentur, legitur AQVAE DVCTVS HADRIANI *l. 5. C. de aquæduct.* LAMPRIDIVS *in vita Adr. c. XX. aquarum ductus infinitos ſuo nomine nuncupavit.* Immo thermas quoque fuiſſe Hadriani haut procul a Neronianis ſitas, indicat MARTIANVS *topographiæ urbis Romæ lib. V. cap. XII.* Vt taceam thermas

mas Antoninianas, Neronianas, Septimianas Traiani, Aureliani, Diocletiani, aliasque, quas quia in legibus non occurrunt, ſtudio prætermittimus, lectorem remittentes ad Famianum Nardinum, Alexandrum Donatum, aliosque.

§. XXII.

Deinde ex inſtituto Legum ac morum balnea dividuntur, quod alia ſint VIRORVM; alia MVLIERVM. Quæ diſtinctio fundatur *in l. 11. §. fin. C. d. repud. Nov. 22. c. 16.* Vt enim cuivis ſexui ſuus poſſet conſtare pudor, jam olim balnea virorum a fœminarum lavacris erant vel totis ædificiis, vel interjecto cubiculorum pariete diſtincta. VARRO *de Lingu. L. VIII. c. 41. balineum novum & græcum introiit in urbem, publice ibi conſedit, ubi bina conjuncta eſſent ædificia lavandi cauſſa, unum ubi viri, alterum, ubi mulieres lavarentur.* POLYDOR. VERGIL. *d. invent. Rer. L. III. c. 13. in f.* PLIN. *L. XXXIII. c. 12.* cujus rationem perhibet CHARIS. *Inſtit. Grammat. l. p. m. 76. Nam parſimoniæ cauſa uno igne duplex balineum calefaciebant, pariete interjecto, ut pudor viris mulieribusque conſtaret.* VITRVV. *Lib. V. c. 10. item eſt animadvertendum, ut caldaria muliebria viriliaque conjuncta atque in iisdem regionibus ſint collocata, ſic enim efficietur, ut in vaſario ex hypocauſto communis ſit uſus eorum utrisque.* Nec obſcure etiam teſtantur ſcriptores, plane ædificia disjunctim fuiſſe poſita diverſis regionibus, ſicuti balneæ muliebres in uſum duntaxat fœminarum exſtructæ memorantur Agrippinæ, Auguſtæ Olympiadis in Saburra, & quas Ampelidem ac Priſcillam trans Tiberim habuiſſe refert VICTOR. *d. Reg.* Add. DONAT. *d. Vrb. Rom.*

*cap.*

*cap. 11.* Balneas fœminarum in gynecæo forte palatii exſtructas, ſpeciatim inſuper adducit LAMPRID. *in Alex. c. 23.* Sicuti virilium adhuc mentionem injicit GELL. *N. A. X. 3.* Quæ balneorum diſtinctio adhuc hodie obtinere debet, pertinet enim ad officium pii ac chriſtiani magiſtratus, lavacra mixta ſubmovere; quam in rem loquitur Ordinat. Gothan. *P. 11. Conſt. 3. tit. 24. §. 3. Und weil in gemeinen Badſtuben zuweilen viel Uppigkeit vorzugehen pfleget, ſo ſollen die Obrigkeiten fleisſige Aufſicht haben, daſs in denſelben der Orth, da die Manns-Perſonen, und der Orth, da die Weibs-Perſonen baden, genugſam unterſchieden ſey.*

## §. XXIII.

Denique diſcernuntur balnea, quod quædam ſint in uſum vulgarem & populi, uti hactenus memorata; quædam in uſum ſpecialem Cleri, ſeſe loturi in ſacris miniſteriis; quæ non incongrue BALNEA ECCLESIASTICA vocares, quum intra aream Eccleſiæ exſtructa, communi jure ac immunitate Eccleſiæ gauderent. Qualia memorantur *in cap. 24. X. d. Elect. it. l. 3. C. d. his qu. ad Eccleſ. confug.* Et celebres ſunt in hiſtoria Eccleſiaſtica Thermæ Novatianæ, quæ & Timothinæ dicuntur ab auctoribus ſuis, Novato & fratre ejus germano Timotheo conditæ, de quibus ANASTASIVS *in Vit. S. Pii I. Papæ p. 5. Rogatu*, inquit, *B. Praxedis dedicavit Eccleſiam thermas Novati in Vico Patricio in honorem ſororis ſuæ P. Pudentianæ.* Vid. ALEX. DONAT. *in Vrb. Rom. L. III. cap. 11.*

§. XXIV.

## §. XXIV.

Cognatæ balnei ſpecies recenſentur *Officina fullonica ſ. fullonum l. 1. §. pen. ff. d. via publ. l. 3. pr. ff. d. aqu. pluv.* & hinc quodammodo balneis jungit VLPIANVS *l. 13. §. fin. ff. d. uſufr.* Erant autem fullones, qui veſtimenta polienda, curanda, lavandaque ſub certa mercede ſuſcipiebant. *§. ult. Inſt. mand. l. 2. ff. d. cond. ſin. cauſſ. l. 13. §. 6. ff. loc. l. 60. §. 2. ff. eod. l. 12. pr. ff. d. furt.* Conveniebant fullo & balneator in eo (1.) quod uterque in uſum fullonicæ aut balnei non aliam aquam ex publico deducere poterat, quam quæ ex lacu ſeu caſtello publico caduca abundaret. IVL. FRONTIN. d. aquæd. *Lib. II. Apud antiquos omnis aqua in publicos uſus erogabatur, legeque cautum ita fuit, ne quis privatus aliam ducat, quam quæ ex lacu humum accedit, id eſt, quæ ex lacu abundavit, eam nos caducam vocamus. Et hæc ipſa non in alium uſum, quam in balneorum aut fullonicorum dabatur*, & inferius rurſus iungit. *Ipſam*, inquiens, *ſplendore & rigore gratiſſimam balneis ac fullonicis &c.* Add. CVIAC. *XXIII. Obſ. 2.* Dein (2.) ſicuti fullo veſtimenta polit, radit, vellicat, lavat; ita balneator, ungendo, radendo pſilothro & reſina, vellicando & lavando corpora, ſpeciem fullonicæ exercet. Vnde & veteres balneas dixerunt ἀνδρωπογναφεῖα, hoc eſt, fullonicas hominum officinas, γναφεὺς enim idem ac fullo ſignificat, uti habet THEOPHIL. *in græca paraph. §. ult. Inſt. mand. it. §. 15. Inſt. d. obligat. qu. ex del. naſc.* diſerte CLEMENS ALEXANDR. *III. Pædag. cap. 9.* ubi agit: *Ex quanam cauſa balneum ſit accedendum;* in medio cap. ait: ἀνθρωπογναφεῖα ἐκάλουν αὐτὰ οἱ παλαιοί· ἐπειδὰν θᾶττον ἢ προσῆκον ῥακοῖ τὰ σώματα καὶ προγηράσκειν ἀναγ-

κάζει καθεψῶντα, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ σιδήρῳ, μαλασσομένης τῇ θερμότητι τῆς σαρκὸς. *Veteres ea fullonicas hominum officinas vocabant, quoniam citius, quam par erat, pannoſa corpora efficiunt, & ante tempus cogunt abſtergendo conſeneſcere, dum, non ſecus ac in ferro, calore caro mollificatur.* Hodie ars fullonica prout apud veteres obtinuit, in uſu amplius non eſt, & qui hodie expoliendis ac reſtituendis veſtimentis dant operam, a balneatoribus noſtris penitus ſunt diverſi. PANCIROLL. de *Corpor. artif. n. 29.* Magis hodiernis moribus conſentiunt, qui tonſtrinas ac tonſores ſ. chirurgos, ut cognatas balnei ac balneatorum formas inducunt, *l. 11. ff. ad leg. aquil.* ſicuti inferius latius videbimus. (3.) Ex parte iisdem quoque accedit (quod tamen ſine balneatorum præjudicio dictum ſit) Officina carnificum & excoriatorum, cum quibus tum tonſores, tum balneatores litigia exercent propter curationem vulnerum, quas negant carnificibus competere. vid. Magnif. Dn. BEIER. Patronus & Promotor meus *Diſſert. d. Carnific. & Excoriat. cap. 6.* (4.) Similitudinem quandam habent balneatoria cum Diverſoriis publicis *mit denen Gaſt- und Herbergen;* eo, quod uterque, hoſpes & balneator publica fide, publica auctoritate homines apud ſe divertentes varios recipiat, iſte quidem ad manſiones quasdam, cœnationem &c. hic ad lauationem. Inde jura quoque de nautis, cauponibus ac ſtabulariis loquentia, utiliter prudenti applicatione tranferri commode ad balneatores poſſunt.

§. XXV.

Differentia tamen ſpecifica, qua tum a cognatis ſpeciebus, tum ab aliis ædificiis atque operibus publicis diffe-

differunt, deſumitur a cauſis, forma, fine atque effectu balneorum; quæ proinde in ſequentibus nobis erunt declaranda hoc ordine; ut (I) ſpectemus Conſtitutionem balneorum, tanquam cauſam efficientem in *cap. 2.* (II) Inſtructum lavationis balnearem, tanquam formam ſpecificam *cap. 3.* (III) Vſum, ceu finem balnei. *cap. 4.* (IV) Cauſas ac jura circa balneum obvenientia, tanquam materiam civilem, & horum intuitu diſpiciemus (I) de Privilegiis Balnei ac balneatorum. *cap. 5.* (II) De iis, quæ ex Iure Perſonarum circa balneum notanda. *cap. 6.* (III) De Iuribus in re. *cap. 7.* (IV) De Pactis, Conventionibus ac Contractibus veris vel quaſi balneantium & circa balneum. *cap. 8.* (V) De Iudiciis ac Foro Balneorum. *cap. 9.* Denique (VI) de Contrariis Balnei delictis ac pœnis. *cap. 10.* Ita vero ubique progrediemur, ut nos intra metam Legum Civilium contineamus, & quæ ex Digeſtis, utroque Codice, Novellis, Feudorum Conſuetudinibus, Baſilicis, Decreto & Decretalibus, Receſſibus Imp. & Conſuetudinibus particularibus excerpi potuerint, prædicta methodo concinnemus; demonſtratis legum fundamentis ac uſu. Ea tamen quæ ad antiquitates pertinent, tractaſſe, noſtri inſtituti non eſt, quantum tamen ad illuſtrationem ercerptarum Legum pertinere viſum, id ex ipſis fontibus adductum deprehendes; nec ultra, quam regulæ Iuris hermeneuticæ requirunt, in ſcrupuloſæ antiquitatis monumenta aberrandum duxi.

# CAPVT II.

## DE BALNEORVM CONSTITVTIONE AC STRVCTVRA.

### SVMMARIA.

*Conſtituere balneum quid ſignificet, & quibus formulis in legibus exprimatur. §. 1. balnei ſtructura eſt favorabilis. §. 2. Conditor balneorum quis. §. 3. balnea privata, publica, municipalia, quis condat. §. 4. balnea eccleſiaſtica quis condat. §. 5. impenſæ in balneum triplices, §. 6. impenſas in balneum quis ferat. §. 7. Sylvæ balneorum §. 8. oleum thermarum. §. 9. vectigal & ſolarium aliæque exactiones publicæ quæ fuerint in balnea impenſæ. §. 10. buleutarum Bithynicorum oblationes in balnea collatæ, quid. §. 11. diſcuſſores qui. §. 12. Balnea municipalia quibus impenſis fuerint ſuſtentata. §. 13. quando priuatus ferat ſumtus publici balnei §. 14. ſitus balnei naturalis qui. §. 15. balnea æſtiva & hyemalia ib. ſitus civilis in exſtruendis balneis ſpectandus quinam §. 16. quodnam ſolum ſ. area balneo deligi debeat. §. 17. balneum publicum in quo loco ſit exſtruendum. §. 18. limites balneorum qui eſſe debeant. §. 19. quousque diſtare debeant balnea ab ædibus vicinis. §. 20. an juxta parietem communem liceat balneum condere. §. 21. Quæ remedia dentur circa exſtruendum balneum. §. 22. forma balnei quæ eſſe debeat. §. 23. quæ antiquitus fuerit ib. Concamerationes balneorum. §. 24. Opus in balneis figlinum. §. 25. porticus ante thermas. §. 26. Cameræ balneorum. §. 27. ſimulacra, picturæ ac ornamenta illarum. §. 28. ſphæriſterium quid. §. 29. Fornax ſ. hypocauſtum balnei. §. 30. tubuli balnei & vapores balnearii §. 31. fiſtulæ balneorum, it. ſellæ ac ſcalæ §. 32. balnei refectio à quo facienda, & quibus remediis tuenda. §. 33.*

§. I.

§. I.

Conſtituere balneum, non iisdem formulis in Legibus exprimitur, legitur enim *FACERE BALNEVM. l. 13. §. fin. ff. d. uſufr. l. 13. pr. ff. d. S. V. P. l. 12. ff. quib. mod. uſusfr. am.* *BALNEVM HABERE. l. 19. pr. ff. d. S. V. P.* *INSTRVERE. l. 8. §. fin. ff. ſi ſerv. vind.* *EXSTRVERE. l. 1. C. d. ædif.* Omnes vero iſtæ notationes in uno vocabulo *τὸ conſtituere* concurrunt, eſt enim hoc generale, & omnes actus architectonicos ac civiles balnei complectitur, ſive qui ad inchoandum ac conſummandum, ſive qui ad exercendum, præbendum atque reficiendum pertinent. *arg. l. 1. §. 7. 8. ff. d. mort. infer. l. 35. §. 3. d. leg. 3. l. 3. §. 15. ff. d. itin. actuque priv.* SPRENG. *d. ædific. c. 5.* Etenim qui conſtituere vult balneum, illud omnino, fundamentis poſitis *ædificat;* ædificatum *exſtruit;* exſtructum *inſtruit* atque ornat, *inſtructum* dein per exercitium atque uſum verum balneum *facit*, & ſic perfectum, in poſſeſſione ac fructu *habet.* Sicuti hæc omnia capitula in progreſſu videbimus. Et inde, qui poteſtatem conſtituendi balnei habet conceſſam, jus quoque habet ad omnes iſtos actus, ſine quibus balneum conſtitui nequit; quia verba generalia generaliter & cum effectu ſunt accipienda. BARBOS. & TAB. *Loc. Comm. voc. Verb. n. 22. & n. 24.* Verum, an etiam balnei penitus deſtructi reſtitutio ſub Conſtituendi vocabulo comprehendatur? qr. Reſp. Tenor privilegii ac litterarum eſt inſpiciendus, an verba ſint reſtricta ad certum aliquod ædificium, & tunc omnino, ſublato ædificio, tollitur & jus in re fundatum. *arg. l. 5. §. ult. ff. quib. mod. uſusfr. am. l. 14. ff. qm. ſeruit. amitt.*

 aut

aut datum eſt generaliter balnei conſtituendi jus, ibi enim, cum jus non certo iſti individuo inhæreat ſed generi, genus autem per interitum ſpeciei non tollatur, utique vi juris conceſſi in locum deſtructi, novum poteſt refabricare balneum *l. 5. C. d. ædif. priv.* Talis autem conceſſio facta præſumitur, quando intuitu profeſſionis balneariæ ipſi balneatori ſc. fuerit collata, quia hæc profeſio maxime in balneis exercetur, & veluti inſtrumentum ejusdem eſt. *Vid. l. 17. §. 2. ff. de inſtruct. leg.* Porro disquiritur an conceſſio habendi balneum *Eine Badſtube zu haben oder zu halten;* & conſtituendi; *Eine Badſtube aufzurichten,* inter ſe differant? Poſterior formula potiſſimum reſpicit balneum, quod adhuc eſt conſtituendum, uti declarat *rubr. art. 6. der Bader-Ordnung zu Weymar verb. von Auf- und Anrichtung der Werckſtätte.* & in ſubjecto nigro uberius declaratur. Prior vero ſignificat balneum, quatenus jam eſt conſtitutum, & cujus exercitium alteri conceditur, uti occurrit *in der Schwartzb. Gehriſchen Bader-Ordnung art. 3. ante fin.* verb. *Und da jetzo ſolche Badſtuben vorhanden, in denen bisher ehrliche Meiſter gewohnet, und offene Werckſtätte (gehalten &c. Weimariſch. Bader-Ordn. art. 16.* verb. *ſo öffentliche Badſtuben (beſitzen) it. welcher keine öffentl. Badſtube (hat).* In effectu tamen inter utramque formulam nil intereſt; cui enim exercitium balneaticæ permiſſum eſt, eidem & balnei conſtituendi poteſtas conceſſa intelligitur. *arg. l. 2. ff. d. jurisd.*

§. II.

Balnei adhuc imperfecti ſtructura *Opus* dicitur *l. 5. C. d. ædif. priv.* quod illuſtrat SIDON. APOLLIN. *II. ep. 9.*

*Bal-*

*Balneas uterque hoſpes habebat in opere, in uſu neuter.* Conſummatum vero opus, nominatur ædificium ac opus publicum. *l. 11. l. 19. C. d. oper. publ.* it. *ſolida balneorum exſtructio. d. l. 5. C.* Spectat autem balneorum ſtructura ad civitatis ornatum *l. 50. C. Th. de oper. publ.* & hinc exſtructio eorundem refertur Iure Romano ad cauſſas favorabiles & habetur valde neceſſaria, cum enim antiquitus caligarum uſus intra Civitatem non eſſet *l. 2. 3. C. Th. d. habit. quo intr. urb. ut. oport.* & ob id nudis pedibus incedentes ex pulvere aut luto ſordes contraherent, quotidie balnea frequentabant, & ideo in quocunque oppido publicum balneum reperiebatur, quod urbis inſigne fuiſſe, tradit PROCOPIVS *Orat. 3. d. ædif. Iuſtin. p. 37. edit. Mogunt.* PANCIROLL. *de Magiſtrat. Municip. cap. 14. poſt med.* DEMSTER. *in not. ad Roſin. antiquit. L. I. c. 14.* Ex eadem ratione publicarum balnearum calefactiones inter neceſſaria ciuitatum præſidia & urgentes conferendi tributi publici cauſas ab Impp. referuntur. *l. 11. C. d. oper. publ.* & inprimis *Nov. 149. c. 2. l. 26. pr. C. d. epiſc. aud.* Per nimiam tamen balneorum frequentiam & lauandi aſſiduitatem mores corrumpi & voluptatibus deliniri, eleganter inſinuat TACITVS *in Agric. c. 22.* ubi memorat hoc potiſſimum arcano politico uſos fuiſſe Romanos ad Britannos devincendos, quod porticus & balnea induxerint; ait l. c. *paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum porticus & balnea & conviviorum elegantiam, idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet.* Hodie etſi tantus pro balneis favor amplius non militet, tamen non eſt dubium, quin ſecundum Conſtitutiones Imperii pari favore

cum

cum aliis cauſis opificiariis gaudeant, nec non ædificiis indultus de jure communi favor, pro iisdem recte allegari poſſit. MAEV. *P. 1. dec. 81. n. 6.*

## §. III.

Tria autem circa balnei Conſtitutionem conſideranda; (1) Conditor (2) Situs (3) Forma. Conditor balneorum appellatur, qui balnea exſtruenda curat, ſicuti habetur in vetuſtis inſcriptionibus apud GRVTER. *p. 441. n. 3. p. 181. n. 3. p. 471. n. 3.* BRISSON. *de form. VIII. p. 730.* Et balneæ a memoria ſuorum Conditorum horum nominibus inſcribebantur. SPART. *in Hadr. c. 19. Romæ inſtauravit Pantheum, Septa, Baſilicam Neptuni, Sacras ædes plurimas, forum Auguſti, lavacrum Agrippæ, eaque omnia propriis & veteribus nominibus conſecravit.* it. SPART. *in Sever. c. 23. Magnum illud in vita ejus, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, inſtauravit, nusquam prope ſuo nomine inſcripto, ſervatis tamen ubique titulis Conditorum.* Hæc nominis inſcriptio ad ipſum thermarum introitum refixa erat. SIDON. APOLLIN. *Carm. 22. Et ne poſteritas dubitet, quis conditor extet. Fixus in introitu lapis eſt, hic nomina ſignat.* Nec inſcribi nomen alterius, quam Principis, aut ejus, cujus pecunia aut curatione opus fuerat factum, licebat. *l. 3. §. 2. ff. d. oper. publ. l. 4. in f. ff. d. adminiſtr. rer. ad civ. pertin.* formam ejusmodi inſcriptionis exhibet GRVTER. *Theſ. Inſcript. p. 178. n. 3.* Nec Præſidis quidem nomen licuit ſuperſcribere *l. 4. ff. d. oper. publ.* & ſi quid novi quis adjecerit ſervatis anteriorum Conditorum titulis, totum ſibi inſcribendo vendicare non poterat, ſed ſaltem pro

col-

collatæ munificentiæ rata memoria, inſcriptionis erat formanda. *l. ult. ff. d. oper. publ.* cujus imaginem in Thermis Diocletianis Romæ exhibitam tradit GRVTER *l.c. p.179. n.1.*

§. IV.

Balnea privata in uſum familiæ ſuæ exſtruere quilibet poteſt, dummodo lege aut pacto non impediatur. Lavare enim in ſuo, eſt naturalis libertatis, quare etiam ædificia ad lavandum exſtruere, natura quoque cenſetur liberum. *l. 8. §. fin. ff. ſi ſerv. vind.* Add. *l. 26. ff. d. damn. inf.* Balnea publica apud Romanos olim in libera rep. ex ſententia & decreto Senatus conſtituebantur, uti balinearum Lacum inter reliqua opera, ex ſententia Senatus a Betilieno Conſule exſtructa refert vetus inſcriptio ap. GRVTER. *p. 171. n. 8.* In Municipiis hoc ſpectabat ad ordines Decurionum, qui hac de re decernebant, uti clare conſtat ex veteri inſcriptione, quam ex Apiano & Smetio recenſet GRVTER. *p. 174. n. 8.* Hodie aut ipſe princeps poteſt balneum exſtruere; aut Magiſtratus Municipalis, vi conceſſæ adminiſtrationis rerum, ad ſalutem ſuæ civitatis pertinentium. *t.t. ff. de adminiſtr. rer. civit:* Aut denique privatus, privilegio & conceſſione deſuper impetrata *Gräffl. Schwartzb. Bader-Ordnung* in dem Gemeinſchaft-Ambt Gehren *Art. 3. circ. fin.* verb. *da jetzo ſolche Badſtuben vorhanden, oder wo es von Uns demſelben mögte verwilliget werden.* Fit iſta conceſſio a principe, penes quem eſt, jura collegiorum confirmare. *l. 8. C. d. hæred. inſtit.* nec magiſtratus municipalis recte poteſt balneaticam inſti-

E tuere,

tuere, cum ſit ultra ſuæ jurisdictionis fines *l. ult. ff. d. jurisd.* ad hunc ſcil. effectum, ut balneator iſte legitimæ tribus cenſeatur; niſi hoc ſpeciatim habeat conceſſum. MAEV. *ad Ius Lub. L. 4. tit. 13. art. 3.* Multo minus inferior cujusdam univerſitatis præfectus; Balneum tamen ſemel exſtructum per alium exercere eidemque neceſſariis rebus ac perſonis providere non prohibetur. *arg. l. 18. §. 5. ff. d. mun. & hon.* vid. *Weymar. Bader-Ordn. art. 20.* Nec dubium, quin & univerſitas jus habendi balneum, præſcriptione, ſc. longiſſimi temporis, acquirere poſſit, uti teſtatur *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art. 6. verb. auf einen Flecken oder Dorff, welches nicht Stadt-Recht und da von langen Jahren her nicht offene Werck-Stätte gehalten worden wären.*

§. V.

Balneas Eccleſiaſticas exſtruendi in area Eccleſiæ jus erat penes Eccleſiam ejusque Rectores, qui curam providendi miniſteriis ſacris habebant. *l. 3. C. d. his qu. ad Eccleſ. confug.* Eccleſiæ vero filiæ id a matre impetrabant, & certam inde penſionem perſolvebant matrici; uti colligere eſt ex *cap. 24. X. d. Elect.* Hodie quidem talia balnea non amplius ſunt in uſu; attamen reditus ex balneo publico in eccleſiæ patrimonium converti licite poſſunt.

§. VI.

Ante omnia autem futuro balneorum Conditori cogitandum eſt de expenſis. Sunt autem impenſæ in balnea triplices; aliæ, quæ dantur ad exſtruendum; quas

quas ad VOLVPTVARIAS refert VLPIANVS *l. 41. §. 2. ff. d. impenſ. in rem. dot. fact. Voluptuoſæ ſunt*, inquit, *balinea exſtruere.* Quæ tamen lex generaliter capienda non eſt; præterea enim, quod in cauſam dotis ſpecialiter referatur, quippe quæ maxime favorabilis eſt, & mulieribus omnino ſervanda integra, ne diminuatur *l. 2. ff. de jur. dot.* etiam videtur ex uſu temporum illorum dicta, in quæ ætas Vlpiani incidit, ubi jam ad ſummam luxuriæ magnificentiam ſ. potius profuſionem balnea evaſerant; uti ſcriptores hiſtor. Aug. minores abunde declarant. Cum proinde hodierno uſu gregali rurſus tectorio balnea ſint inducta, neque tantæ in ea impenſæ, ſicuti olim, fieri ſoleant, moribus porro chriſtianis non toleretur, illis aliter niſi ad munditiem & curationem corporis uti, facile omnino elucეſcit, illud Vlpiani effatum noſtro Imperii ac juris ſtatui generaliter non congruere, ſed hactenus impenſas in balneum collatas pro indifferentibus haberi, ac æquali jure cenſeri cum illis, qui alias in ædificium aut opus publicum, curatione vel publica vel privata impenduntur; Quas tamen abuſu in non neceſſarias ac penitus voluptuarias degenerare poſſe libentius conceſſerim. Sicuti & iſtæ impenſæ, quæ ultra conſuetum civitatis modum, ornatus tantum & voluptatis gratia in balnea fiunt, recte voluptuariis ſunt accenſendæ. *l. 7. ff. d. impenſ. in rem dot. fact.* Secundum hæc igitur quærit: An ſufficiens cauſa ſit, ut quis declaretur in prodigum, ſi nimias impenſas in balneum fecerit? ℞. Cum prodigalitas non ex omnibus expenſis ſuperfluis contrahatur, ſed ſaltem ex iis, quæ ſine ratione fiunt, quæque patrimonium poſſeſſoris dila-

 cerant

cerant ac penitus diſſipant. *l. 1. ff. de Curat. furioſ.* Ipſum autem balneum, licet nimis magnifice & ultra ſortem privatam exſtructum, adhuc in patrimonio extet, ornatumque ciuitatis augeat, utique puto, pro prodigo illum habendum non eſſe, qui in publicum civitatis ornamentum eſt prodigus. Quæ ad parandum, inſtruendumque balineum iam exſtructum expenduntur, ſunt VTILES. Nec enim intelligitur balneum ſine uſu ac inſtructu ad lavandum neceſſario *l. 17. §. 2. ff. d. inſtr. leg.* Continent autem hæ impenſæ ea omnia, *quæ tum ad miniſteria lavantium, tum ad utenſilia balnei, ac commoda inſtrumenta, tum denique ad præbitionis purgationisque quotidianam tutelam* atque ad reliquos inſtructus pertinent, ſicuti clare docet SCAEVOLA *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* *NECESSARIAE;* quæ dantur ad refectionem balnei *l. 58. §. fin. ff. loc. l. 5. C. d. ædif. priv.* Etenim ne urbis aſpectus ruinis deformetur, neceſſariæ videbantur impenſæ, quæ ad reſtituendum balineum erogabantur.

§. VII.

Impenſas in balneum privatum faciendas contribuit dominus. *l. 58. §. f. ff. loc. l. 3. C. Th. d. collat. donat.* Sumptus vero balnei publici ſæpius olim ferebat princeps ex munificentia Imperiali. Sicuti plura exempla balneorum gratis ab *Impp.* exhibitorum tam in Vrbe quam in Provinciis occurrunt. Vti ſunt thermæ Diocletianæ & Maximinianæ, ab ipſis *Impp.* in Vrbe conditæ atque ornatæ. GRVT. *Theſ. inſcript. p. 178.*

§. VIII.

Ex hac ratione publicæ ſylvæ thermis deputatæ leguntur, unde ligna ad reparationem ac ſubuſtionem ſumeren-

merentur AGGEN. VRBICVS *p. 74.* *In tutela rei urbanæ aſſignatæ ſunt ſylvæ, de quibus ligna in reparationem publicorum mœnium traherentur.* Per mœnia autem hic omnia ædificia publica, atque inter hæc balnea intelligi demonſtrat SYMMACH. *X. ep. 53.* *Ne commoda*, inquit, *populo Romano Civitas, quæ Lavacris publicis ligna & calcem reparandis mœnibus ſubminiſtrat.* Add. *l. 32. C. Th. d. oper. publ. ibiq.* GOTHOFR. Bene vero diſtinguendæ ſunt ſylvæ lignorum cæduæ, ab iis ſylvis, quæ ante ipſas balneas in gymnaſiis extabant. Extra cellas nimirum balneares proxime diſpoſitæ erant porticus tres, una ex periſtylio exeuntibus, duæ dextræ ac ſiniſtræ ad ſtadia & ludos. Hæc autem porticus ξύςος apud Græcos vocitabatur, quod athletæ per hyberna tempora in ſtadiis iſtis tectis exercebantur. Proxime ante Xyſtum & duplicem porticum erant dictæ hypæthræ ſ. ſubdivales ambulationes, quod in eas, per hyemem, ex Xyſto, ſereno cœlo, athletæ prodeuntes ſe exercerent. Inter ipſas porticus erant ſylvæ ſ. arbores ad ambulacri ordinem conſitæ ac platanones virides & variis herbarum generibus florentes. PLIN. *II. ep. 17.* VITRVV. *Archit. V. c. 11.* De utriſque his ſylvis diſtinctis locis loquitur LAMPRID. *in Alexandro Severo.* De prioribus agit. *c. 24. ibi: Sylvas etiam thermis publicis deputavit.* De poſterioribus *in cap. 25. eod.* *Nemus thermis ſuis Aedibus ſuis, quas emerat, dirutis ædificiis fecit.* Conf. BACC. *de Therm. L. VII. cap. 5. 6.*

§. IX.

Addit et Alexander Severus Imp. oleum ad præbenda luminaria, cum hujus Imp. ætate balnea in no-

ctem usque paterent contra priſcum morem. LAMPRID. *in Alex. c. 24. Addidit & oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & ante ſolis occaſum clauderentur.* Quæ olei præbendi ratio ſæpe a privatis, teſtamento fuit ad publicas thermas data, uti eſt in veteri inſcriptione apud GRVT. *pag. 376. n. 5.*

## §. X.

Legitur & vectigal artium ab eodem Alexandro Severo inſtitutum, quod thermis publice præbendis impenderetur. LAMPRID. *c. 24. Braccariorum, Linteonum, vitriariorum, pellionum, plauſtrariorum, argentariorum artificumque & cæterarum artium vectigal pulcherrimum inſtituit, ex eoque juſſit thermas, & quas ipſe fundaverat, & ſuperiores populo exhiberi.* Erant nimirum hæ omnes enumeratæ artes, quæ ex balneis ſtruendis, maximum ſibi lucrum ac quæſtum faciebant, unde merito adigi ad præſtandum hoc vectigal poterant. Anaſtaſius Imp. de exactionibus publicis, quæ de certis ſpeciebus, Alexandria exportatis, ſolvebantur, quotannis 492. aureos in balnea Alexandrina erogari publice juſſit; & cum ſubſequenti tempore balneæ iſta collatione eſſent defraudatæ, per negligentiam & dolum magiſtratuum, iſtam in ordinem rurſus redegit Iuſtinianus Imp. dato deſuper Præf. Auguſtali, qui rebus Alexandrinis præeſſet, negotio. Vti declarat *Edict. Iuſt. XIII. c. 15. 16.* Simili modo officinæ intra columnas ac porticus publicarum thermarum exſtructæ, certum pendebant ſolarium, quod Honorii & Theodoſii Conſtitutione ad præbenda luminaria, tecta atque ædificia Lavacri reparanda deſti-

deſtinatur *l. 52. C. Th. d. oper. publ. l. 19. C. eod.* Certa autem quantitas hujus ſolarii definita non erat, ſed arbitrio magiſtratus æſtimandum committebatur, qui pro amplitudine ſpatii, plagæ &c. ſtatuebat; Eratque id muneris penes Præf. Vrbi, ſicuti ad placitum eius in *d. l. 52.* hæc penſio refertur; In Municipiis Curatores Civitatis eam æſtimationem inibant *l. 5. in f. ff. de oper. publ. l. 1. §. 17. ff. ne qu. in loc. publ.* Aliquando & Provinciales loco publicæ penſionis ad Vrbis Romæ thermas, ligna, aliaque neceſſaria ſubminiſtrabant; veluti de thermis Africanis conſtituit *l. 10. C. Th. d. navicul.* Atque hinc inter cauſas tributorum Provincialium calefactiones balneorum refert Iuſtinianus. *Nov. 149. c. 2.*

## §. XI.

Specialem ad balnea publica adærationem meminit PLINIVS de Claudiopolitanis ſuis, quibus ipſe, uti provinciæ Bithiniæ Rector, præſidebat, ſc. Oblationes buleutarum. *X. ep. 48. Claudiopolitani,* inquit, *in depreſſo loco, imminente etiam monte, ingens balineum defodiunt magis quam ædificant, & quidem ex ea pecunia, quam buleutæ, additi beneficio tuo, aut jam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus conferent.* Erant autem buleutæ lecti a Cenſoribus in bulen ſ. Curiam municipii ſeu ſenatores in municipiis Add. SVID. *in voc.* βȣλη. PANCIROLL. *d. magiſtr. munic. cap. 1.;* Solebantque hi certam pecuniam dare pro introitu ſuo in Curiam, qua nimirum auſpicia ordinis atque adeptæ dignitatis redimebant. Ab hac ergo collatione Bithynos & Ponticos immunes fecerat Lex Pompeja de Magiſtratibus. At,

cum

cum antea haberent certum Decurionum numerum; Trajanus Imp. ultra legitimum illum numerum plures adhuc in Curiam legi, nonnullis civitatibus indulſit, addita tamen reſtrictione, ut ſtatum bulevtarum honorarium ſolverent. Et hæ ſunt iſtæ Oblationes, quas Claudiopolitani ex liberalitate principis in balnea volunt impendere Add. PLIN. *X. ep. 113. l. 59. C. d. decur. l. 192. C. Th. eod. ib.* GOTHOFR. IAC. THOMAS. *in recenſ.* PLIN. *loc. cit.*

§. XII.

Harum porro pecuniarum, quæ ad balnea publica erant deſtinatæ, exactio ad Diſcurſores olim ſpectabat, qui erant rationum fiſcalium indagatores, exactionesque ac diſtributiones ſumptuum in publica opera impendendorum faciebant, apochas publicas deſuper dabant, atque a ſolo principe ad hoc officium dimittebantur *l. 4. C. d. diſcuſſor. l. 26. §. 3. C. d. epiſc. aud.*

§. XIII.

Balnea Municipalia communibus ac publicis civitatis ſumtibus ſunt ſuſtentanda; Cum enim commoda balneorum omnibus civibus ſint æqualia, utique & onus æqualiter omnes, pro rata ſc. proportionis geometricæ, onerare debet; *arg. l. 7. C. d. SS. Eccleſ. l. 7. C. d. aquæd.* Quo nomine calefactio thermarum ſ. publici balnei inter munera civitatis perſonalia referebatur *l. 1. §. 2. ff. d. muner. & honor.* Eratque Curatoris civitatis officium id curare; diſerte CHARISIVS ICtus *l. 18. §. 5. ff. d. mun. & honor. Inter perſonalia munera in quibusdam civitatibus numerantur & calefactio publici balnei, ſi ex redi-*

*reditibus alicujus Civitatis Curatori pecunia ſubminiſtratur.* Habebant nimirum civitates fundos, ædes &c. quas locabant, & reditus inde quotannis percipiebant *l. 1. §. 1. ff. quod cuj. univ. cauſ.;* his igitur curis a Decurionibus præfectus, Curator it. Procurator reip. vocabatur; Qui, ſicuti ſuſceptor Principis ac fisci pecuniam adminiſtraret; ita civitatis res curabat, prædia civitatis ad certum annuatim canonem locabat *l. 1. ſ. 2. ff. d. mun. & honor.* it ædes publicas ac præcipue balnea redemptoribus ſarcienda elocabat. *l. ult. ſ. 2. ff. d. adminiſtr. rer. ad Civit. pertin.* & generaliter ædilitatis officium in municipiis gerebat. *l. 20. ff. d. compenſat. l. 46. d. damn. inf.* ſc. in iis, in quibus peculiaris ædilis non erat conſtitutus. PANCIROLL. *de Magiſtrat. municip. cap. 11.* Ex his igitur locis fundisque reip. qui certus annuatim reditus conferebatur, quoad tertiam partem in balnea ciuitatis curanda impenditur, ex Arcadii & Honorii reſcripto in *l. 11. C. d. oper. publ. l. 32. C. Th. eod. l. 131. C. Th. d. decur.* quæ proinde impenſæ *pecuniæ balneares* nominantur *l. 26. pr. C. d. episc. aud.* De uſu hodierno Arcadianæ hujus conſtitutionis vid. CASP. KLOCK. *Tom. II. Conſ. 44. n. 47. & ſeqq.*

## §. XIV.

Quandoque priuatus ex contractu vel vero vel quaſi ad præbendum publice balneum, atque ad ſumtus in præbitionem ac refectionem impendendos tenetur; uti caſum refert *l. 35. ſ. 3. ff. d. leg. 3.* quod interpretandum, quatenus refectio in quotidiana ædificii tutela verſatur, ita, ut tecta aut cameras ruinoſas reſtituat,

 detrita

detrita uſu inſtrumenta ſuppleat, deficientia miniſteria novis inſtituat. Verum, ſi vel igne conſumtum balineum, vel fatali caſu dejectum perierit, ad reſtaurandum & de novo ædificandum non obligatur: Cum ſublata re, & onus rei adnexum perimatur, resque reſtituta redeat ad naturalem libertatem, argumento ſc. ducto ab uſufructu, qui per interitum rei expirat *l. 5. §. ult. ff. quemad. uſusfr. am.* Et ita quoque balneum, quod quaſi in publico fructu eſſe intelligitur, ædificio peremto deſinit. Limitandum tamen hoc foret, ſi ipſe v. g. teſtator legatarium vel cohæredem; aut ſi alius contrahens ſe ſuosque hæredes, non ad certum ſpecifice demonſtratum balneum obligaverit; ſed in gen. balneum præberi dixerit, tunc enim, cum genus non deſinat, nec copia reſtituendi deficiat, obligatio quoque præbendi, & per conſequens reſtituendi, nullo ædificii lapſu extinguitur. In dubio tamen magis definita, quam indefinita præſumitur facta promiſſio.

## §. XV.

Situs Balnei vel naturalis vel civilis eſt. Naturalis eſt commodo aeris plagæque cœleſtis regio, verſus quam in ſuam temperiem balnea ſunt exſtruenda. Circa hunc ergo deligendum monet VITRVV. d. *Architect. V. c. 10. Vt locus eligatur calidiſſimus, id eſt, averſus a ſeptentrione & aquilone. Ipſa autem Caldaria tepidariaque lumen habeant ab Occidente hyberno. Sin autem natura loci impedierit, utique a meridie.* Qui quidem ſitus hybernis balneis maxime convenit; Sicuti id ulterius declarat VITRVV. *L. VI. c. 7. hyberna triclinia & balnearia occiden-*

*dentem hybernum ſpectent, ideo, quod veſpertino lumine opus eſt, ut præterea, quod etiam Sol occidens adverſum habens ſplendorem, calorem remittens, efficit veſpertino tempore regionem tepidiorem.* Et COLVM. *de R. R. l. 1. c. 16. Balnearia Occidenti æſtivo advertantur, ut ſint poſt meridiem & usque in veſperem illuſtria.* Aeſtiva balnea ad ſeptentrionem frequentius ædificabant, quod *ea regio*, uti inquit VITRVV. *1. c. 7. eo quod eſt averſa a ſolis curſu, ſemper refrigerata & ſalubritatem & voluptatem in uſu præſtat.* Atque ex iſta ſtructuræ ratione petitam cenſeo antiquam balneorum differentiam, qua alia dicebantur æſtiva; alia hyemalia, quam diverſitatem notat CAPITOLIN. in *Gord. c. 32. in f. Cogitaverat præterea cum Miſitheo, ut poſt baſilicam thermas æſtivas ſui nominis faceret, ita, ut hyemales in principio porticus poneret, & ſuo uſui eſſent vel viridaria vel porticus.* Nimirum balnea æſtiva orientem ſpectabant, erantque apertiora, ut frigus orientis captarent. Hyberna ſ. hyemalia verſus occidentem porrigebantur, erantque magis tecta, ut partim munimentis, partim plaga cœleſti a frigore hyemali defenderentur; Sicuti tradit SIDON. APOLL. *Carm. XXII. 179. & ſeqq.*

*Porticus ad gelidos patet hinc æſtiva triones.*
*Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit*
*Atque locum tempus mollit, quippe illa rigori*
*Pars eſt apta magis, nam quod fugit ora Leonis*
*Inde Lycaoniæ rabiem male ſuſtinet urſæ.*

Atque hinc lux affunditur VOPISC. qui de Aureliano Imp. *c. 45.* tradit: *Thermas in Tranſtiberina regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidioris copia*

*illic deeſſet.* Cum ſc. æſtiva balnea maxime frigentibus aquis eſſent refrigeranda, igitur ob defectum frigidioris aquæ, locus hyemalibus aptus videbatur. Erant hæc hyberna tectis magis porticibus atque a ventorum tempeſtate averſis. PLIN. *II. ep. 17. Poſt hanc cubiculum pro procœtone, altitudine æſtivum, munimentis hybernum, eſt enim ſubductum omnibus ventis.* CIC. *XIII. ad Att. ep. 29. Balnearia tamen laudat: Majora de minoribus ait hiberna effici poſſe; Tecta igitur ambulatiuncula addenda eſt.*

§. XVI.

Civilis eſt locus, cui balneum inædificare iure cenſetur permiſſum; ſ. qui Legibus publicis aut privatorum pactis non eſt interdictus. Etſi enim natura liberum ſit ædificare in ſuo prout libet, *l. 24. ff. d. S. V. P. l. 9. C. d. ſervit. & aqu.* tamen iſta libertas legibus quandoque ac pactis conſtringitur, ut in commodum vel totius civitatis, vel in utilitatem privati certo loco abſtinere debeam; Igitur, licet conſtet de ſitu naturali, tamen ſimul quoque explorandum eſt, quo minus iuri adverſetur ſtructura, ne alias aut novi operis nunciatione ab adverſario impediatur, aut exſtructum jam opus cum temporis ac ſumtuum diſpendio cogar interdictis diruere. Complectitur autem locus civilis duo (1.) ipſum ſolum ſ. aream futuro ædificio deſtinatam (2.) limites ac dimenſionem, ne aut in fundamentis iaciendis, aut in opere ejiciendo, ac protegendo tecto iura viciniæ diſturbentur.

§. XVII.

Solum igitur præcipue eligendum eſt tale, quod uſibus propriis ac privatis vacat. *arg. l. 12. ff. quib. mod.*

*uſus-*

*uſusfr. am.* Nec poteſt uſufructuarius in fundo, cujus uſumfructum percipit, balneum ad lavationem, vel privatam vel meritoriam exſtruere, per expreſſam *l. 13. §. 8. ff. d. uſufr.* ubi VLPIANVS ait; *item ſi domus uſusfructus legatus ſit, meritoria illic facere fructuarius non debet, nec per cœnacula dividere domum; atqui locare poteſt, ſed oportet quaſi domum locare; nec balineum ibi faciendum eſt.* Quia fundo utifrui debet, ſicuti eſt, non vero naturam eius alterare. CAEPOLL. *d. S. V. P. cap. 52. n. 3.* Nec dominus proprietatis, quam diu durat uſusfructus: quia juri uſufructuarii quæſito præjudicare nequit. Multo minus inquilinus ſ. conductor CAEPOLL. *d. l.* In ſolo communi balneum ædificatum, quoad dominium cuilibet ſociorum pro rata dominii ac juris in fundo accreſcit, ſive ſcientibus ſ. ignorantibus fuerit exſtructum. Quia ſuperſtructum ſequitur ſuum fundum, tanquam acceſſorium *l. 16. C. d. r. vind.* Impenſas tamen, conſenſu illorum, quorum intereſt, factas, ædificans judicio pro ſocio, aut mandati repetit. *arg. l. 12. ſ. 13. ff. pr. ſoc. l. 16. C. d. R. V.* aut exceptione retentionis conſequitur *l. 5. C. d. r. v. l. 14. d. dol. mal.* Sin ignorantibus iisdem, quæ utiliter impendit, utili negotiorum geſtorum actione conſequitur. *arg. t. t. ff. d. neg. geſt.* Sin ſociis invitis ac mala fide quaſi in rem ſuam expenſas fecerit, ſolidam balneorum exſtructionem ſibi ſoli vindicans, ob m. f. impenſas nullas repetere poteſt; *l. 5. C. d. ædif. priv.* idemque judicandum, ſi balneas in ſolo communi collapſas refabricauerit, ubi eadem adhibenda diſtinctio, veluti expreſſe in hos caſus reſcribunt Diocletianus & Maximinianus Impp. *l. 5. C. d.*

 *ædif.*

*ædiſ. priv.* Solo alieno eſt abſtinendum, de facto vero ſ. bona ſ. mala f. ſuperſtructum cedit domino fundi, pro ratione ac qualitate juris in fundum competentis. *l. 7. §. 10. ff. d. a. r. d. l. 39. d. R. V.* Quod ſi quis præterea domum alienam invito domino demolitus fuerit, & eo loco exſtruxerit balneas, *præter naturale jus, quod ſuperficies ad dominum ſoli pertineat, etiam damni dati nomine actioni legis Aquiliæ ſubjicitur*, uti loquitur VLPIANVS *l. 50. ff. ad leg. aquil.* Pro loco penitus alieno reputandus eſt locus ſacer, diruto licet ædificio ſacro, utpote qui ſemel religioni dedicatus, ad uſus profanos transferri Iure Civili non poteſt. *l. 73. ff. d. contr. emt.* In eundem modum reſcribit TRAIAN. Imp. PLIN. *Lib. X. ep. 49. Poſſumus apud Pruſenſes area iſta, cum domo collapſa, quam vacare ſcribis, ad exſtructionem balnei uti, illud tamen parum expresſiſti, an ædes in peryſtilio Claudio facta eſſet, nam ſi facta ædes eſſet, licet collapſa ſit, relligio ejus occupavit ſolum.*

§. XVIII.

Ad thermas publicas deligitur locus publicus univerſitatis. *§. 6. Inſt. d. rer. div.* Locum tamen privatum etiam ad exſtructionem thermarum publicarum deputari poſſe, præſtita modo poſſeſſori ac domino indemnitate, Honorius & Theodoſius Iun. Impp. reſcribunt *l. 50. C. Th. d. oper. publ. l. 53. Th. eod.* Et vice verſa publicum thermarum locum privatis ædificiis occupare non licebat, niſi ex ſpeciali principis permiſſu, qui ſub certo ſolario vel vectigali, quandoque inſtitoribus officinarum dabat poteſtatem, in porticibus balnei publici ædificia promercalia ac tabernas unguentarias exſtruere

*l. 19.*

*l. 19. C. d. oper. publ. l. 52. C. Th. eod. l. 1. C. d. ædif. priv.* Hodie nullum eſt dubium, quin nec priuato liceat in ſolo reip. ad balnea conceſſo ſine conſenſu civitatis ædificare *arg. l. 2. §. 17. ff. ne qu. in loc. publ.* aut alio quodam ædificio uſum ac aditum balnei publici obſtruere *arg. l. 5. ff. d. oper. publ.* Neque ea eſt magiſtratus poteſtas, fundum privatum ſine conſenſu domini ac poſſeſſoris ad ſtructuram publici balnei convertere *arg. d. l. 5.* Debet autem locus ad publicam balnei officinam deligi in civitate, vico aut pago, civitatis jure, aut alias privilegio habendi balneum gaudente. *Weymar. Bader-Ordn. art. 6. Nachdem nun einer jetzt erzehlter maſſen ſein Meiſter-Recht erlanget, mag er alsdenn und nicht eher ſeine Werckſtätte an einem Ort, da freye Jahr- und Wochen-Märckte gehalten werden, oder, da vorhin ſolche Badſtuben vorhanden, in denen vor alters ehrliche Meiſter gewohnet, und offene Werckſtätte getrieben haben, aufrichten. Würde ſich aber einer unterſtehen, auf einen Flecken oder Dorff, welches nicht Stadt-Recht, und da von langen Jahren her nicht offene Werckſtätte gehalten worden wären, ohne Vorbewuſt der gantzen Innung ſich niederzulaſſen, der ſoll von ſolcher Innung ausgeſchloſſen und vor unredlich gehalten werden.* Nec plura regulariter in uno loco balnea ſunt permittenda, quam pro copia ac confluxu hominum ſufficiunt, ne una officina per alteram pereat, uti eſt *in der Gräfl. Schwartzb. in dem Reichs-Ambt Gebren confirmirten Bader-Ordnung art. 3. in f. Welcher oberzehlter maſſen ſein Meiſter-Recht erlanget, der mag alsdenn ſeine Werkſtätte in Unſern Ambte entweder an einem Orte, da freye Jahr- und Wochen-Märckte gehalten werden, und da jetzo ſolche Badſtuben vorhanden,*

*in*

*in denen bisher ehrliche Meiſter gewohnet, und offene Werckſtätte gehalten, oder wo es von Uns demſelben möchte verwilliget werden, ſein Handwerck, wie er es rechtmäſſig erlernet, und das bisher üblich geweſen, treiben. Doch ſoll keiner an einen ſolchen Orte ſich ſetzen, wo bereits eine Badſtube iſt, damit nicht einer den andern verderbe, oder viel Gezänckes und Zwietracht erreget werde.*

§. XIX.

Deinde circa limites balneorum, & quousque in ſolo permiſſo patere, atque vicini ædes attingere poſſint, nec ne, cautiones proſtant, quarum priores ſpectant ad fundationes balneorum. In fundamentis proinde balnei jaciendis, non licet fundum vicini, defoſſis in altum cuniculis, diruere, quo minus ædes ejusdem corruant, vel pars illarum cum detrimento totius inclinatione ad ruinam ſubſidat. *l. 6. C. de metallar.* In aquis porro per canales ſ. cuniculos ſubterraneos olim ad balneum deducendis aut rurſus egerendis, ſolitus derivandi uſus eſt obſervandus: nec rivus elutrientis aquæ per fundum vicini avertendus. *l. 3. §. 1. & 2. ff. d. aqu. pluv. arc.*

§. XX.

Inſtructis proinde balnei fundamentis, illud iam eſt inædificandum: in quo rurſus obſervandum, ne ultra præſcriptos a lege fines vicini ædibus accedam. Inde balneum juxta parietem vicini proprium in meo ſolo exſtruere non prohibeor, legitimo ſaltem intermiſſo ſpatio, quod duorum pedum ex Legibus XII. Tabb. ædificiis præſcribitur. *l. fin. ff. fin. regund.* Ac ideo idem inter-

tervallum inter balneum & murum vicini intercedere debere, evincitur *arg. l. 41. §. 8. ff. d. leg. 1. l. 1. C. d. ædif.* CAEPOLL. *d. S. V. P. cap. 52. n. 2.* Fornacem tamen balnei muro vicini eo usque avertere debeo, quo usque flamma ædibus vicinis nocere nequeat. *arg. d. l. fin. l. 13. ff. d. S. V. P.* CAEPOLL. *d. cap. 51. n. 2. 3.* Totum hoc plenius exponit HARMENOP. *Synopſ. Lib. II. tit. 4. rubr.* περὶ βαλανείου κτίσματος. *ſ. de balnei conſtructione*, qui titulus, vertente G. MERCERO ita ſe habet: *Eum qui privatas balneas ſit exſtructurus, dare operam convenit, ut camini a vicino diſtent. Siquidem ad Auſtrum magis aut ad Occaſum vergit exſtruendum balneum, habente vicino ſecundam tertiamque ſubſtructionem & feneſtras in idem Balneum proſpicientes viginti cubitis. Vbi enim hybernos ventos flare contigerit, non adſidue vicini feneſtræ aperientur; Inſuperque vento humido diſſolvetur & abſumetur ignis æſtus. Si vero ad Boream magis, aut ad Ortum ſpectet privatum illud balneum conſtruendum, quam vicini, cujus ædes duos aut tres ſtructurarum ordines habent, tum oportet eum, qui privatum balneum exſtruere aggreditur, efficere, ut a vicino ſejunctum ſit, cubitis non minus triginta. Flantibus enim æſtivis ventis & feneſtris continenter apertis incommodum aliquod proximas ædes habenti ingruere poſſit. Quod ſi obſtructi ſint muri in idem privatum balneum proſpicientes, tertia pars præſcripturarum menſurarum ædificaturo concedatur. Sin vero unius tecti, hoc eſt, planæ ſint ædes, quæ januas aut feneſtras, ut dictum eſt, proſpicientes habeat, tantum ſpatii detur, quantum, & cum obſtructi ſunt parietes. Sed ſi ejusmodi planarum ædium muri obducti ſint & clauſi, undique menſurarum, quæ tabulatis adhibendæ ſint, detur ſexta pars. Et hæc quidem in*

 *Vrbe.*

*Vrbe. At in vicis ac pagis dictarum menſurarum dimidium duntaxat.* Hodie cum non ita in immenſum ardeant balnea ſicuti olim, nec tam adſiduus ſit balneandi uſus, ut inde tam grave periculum vicinis ædibus imminere poſſit, igitur arbitrio judicis committendum, quousque balnea ab aliis ædificiis diſtare debeant.

## §. XXI.

In rata communis parietis vel *juxta eum invito etiam ſocio balneum exſtruere poſſum, quamvis humorem capiat paries*, expreſſe tradente PAVLO ex Proculi afferto *l. 19. pr. ff. d. S. V. P.* Sin tamen ita frequens ſit balnei uſus, ut aſſiduum humorem habeat, idque vicino noceat, recte prohibeor, uti ait NERATIVS citante *d. l.* SPRENG. *d. ædif. c. 4. §. 319. pr.* Add. *l. 57. ff. loc. l. 3. §. 1. ff. d. aqu. pluv. arc.* CAEPOLL. *d. S. V. P. c. 52. n. 1.* Ne igitur humor communem parietem corrumpere poſſit, ſuadet HARMENOP. *L. II. t. 4. rubr.* περὶ χερσονησίων, ut murus balnei certa craſſitie ſolidetur. Verba eius lat. reddita ſunt hæc: *Qui in atrio lavacra non habet, vult autem ſibi facere ſecundum parietem cum vicino communem, faciat oportet ex parte ſui muri communis ad lavacra murum latum ac amplum craſſum non minus cubito & beſſe; itemque & de cuniculis ſ. cloacis dicendum; ita enim incorruptus permanebit, & indemnis paries. Fiſtulas* porro quæ ex caſtello aquam ad balnea ducunt junctas parieti communi habere non licet *d. l. 19. pr.* CVIAC. *ad h. l.* Sed curare oportet, ut a vicini muro diſtent uno cubitu, propter putredinem quæ ex aquæ fluxu inducitur. Quod ſi nullus ſit vicini paries, ſed ager, licet ei, quoquo pacto

ſto libuerit, facere, uti definit HARMENOP. *promptuar. Iur. Civ. L. II. t. 4. rubr. de Tubulo aquæd. & Eurip.* Rationem diverſitatis, quare balneum, nec tamen fiſtulas hoc loco habere liceat, adducit CORAS. *Miſcell. Iur. Civ. Lib. VI. c. 10.* quia ſcil. in ſuo cuique facere permiſſum, modo in alienum non immittat. *l. 8. ſ. 5. ff. ſi ſerv. vind.* At, qui fiſtulas aut canales jungit parieti communi, in alienum immittit; non item, qui balneum in ſuo exſtruit, quamuis paries communis humorem capiat, ſublato quippe pariete, manet balneum, quod nec impedit parietis communis refectionem. *d. l. 19. ſ. 1. ff. d. S. V. P.* Eandem ob cauſam nec *tubos balneares*, per quos igneus vapor ad cellas balnei circumfunditur *admotos ad parietem communem habere poſſum, quia flamma per illos torret parietem;* expreſſe ita reſpond. PROCVLO ICto *l. 13. ff. d. S. V. P.* Quæritur denique, an, ſiquis juxta domum profeſſoris, qui litteris dat operam, balneum erigere velit Doctor ex beneficio *auth. Habita C. ne fil. pr. patr.* balneatorem poſſit prohibere? Rationem decidendi affirmat. tradit *d. l. 19. pr. ff. d. S. V. P.* quia ſ. adſiduus balnei humor gravedinem, pituitam, dolores capitis &c. exhalatione ſua poteſt excitare, inde diſcentes incommodo afficiantur.

## §. XXII.

Contra exſtructionem balnei ſuo juri quis invigilat novi operis nunciatione. *t. t. ff. d. nov. oper. nunciat.* exſtructum vero jam in præjudicium juris noſtri, dominus fundi vel in continenti propria auctoritate demoliri poteſt arg. *l. 7. ſ. 3. ff. qu. vi a. clam.* Parens p. m.

*Diſſert. de. Vind. priv. cap. 6. §. 6. 7.* Vel interdictis Vnde vi, it. quod vi aut clam. a judice demoliendum petit *t. t. ff. qu. vi aut clam. l. 29. §. 1. ff. ad leg. aquil.* Verum juſte ædificans jus ſuum contra prohibentem defendit exceptione doli; ac contra turbantem interdictis inhibitoriis actioneque ad intereſſe procedit *l. 3. §. 8. ff. d. riv.* Sin lis ſit dubia, ædificator opus ſuum tuetur, præſtita, de demoliendo, cautione, ſi in præjudicium nunciantis factum appareat. *l. 12. §. 7. C. d. ædif. priv. l. 20. §. 5. ff. d. nov. op. nunc.* beat. Parens *Synt. Civ. Ex. 39. §. 12.*

## §. XXIII.

Forma balnei exſtruendi obſervanda eſt ea, qua cæteris ædificare permittitur, ita ut uſitatus civitatis modus non excedatur *l. 1. C. d. ædif. priv, l. 11. ff. d. S. V. P.* qui modus potiſſimum in externo aſpectu, altitudine ac ſtructurarum ordinibus conſiſtit. Erant autem formæ balneorum antiquitus variæ, prout aut Conditoris peritia, aut voluptatis commoditas, ſeculique invidia ac pompa demonſtraret; Ex diverſis tamen iſtis, illas nobis tantum explicandas ſumemus, quæ faciunt ad intelligendas leges, quatenus iſtæ de ſtructuræ formis mentionem injiciunt. Et ſane antiqua balneorum ſtructura tenuis fuit atque inculta, in uſum magis campeſtrem ac domeſticum poſita, nullo exornata luxuriæ cultu. SEN. *ep. 86. At olim & pauca erant balnea, & nullo cultu exornata.* A qua tamen priſtina frugalitate multum deſcivit ætas poſterior. ſcites SEN. *ep. 114. Vbi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum diligentior eſſe incipit,*

*cipit, deinde ſupellectile laboratur, deinde in ipſas domus impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, & lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor.* Quæ omnia de balneis quoque dicta interpretatur MARTIAL. *IX. cap. 57.* Prima autem ætas exornati cultus balnearis in ætatem Auguſti incidit, his enim maxime temporibus Vrbs variis ædificiis decorari cœpit. Ad cujus dein exemplum thermæ Provinciales pro cujusque conditoris magnificentia ſunt conditæ; Ab Auguſto porro ad Neronianum usque incendium, ac in Honorium Cæſarem multis ac magnificis ornamentis eadem aucta ſunt, & licet Gothorum invaſione multa balnea fuerint diruta; attamen ad ætatem usque Iuſtiniani plura adhuc ſuperfuerunt publica æque ac priuata balneorum ornamenta. Conf. ALEX. DONAT. *de Vrb. Rom. L. I. c. 24. & ſqq.* MARLIAN. *Topogr. Rom. L. IV. c. 7.*

§. XXIV.

Ex ſpeciebus veteris ſtructuræ balneorum, CONCAMERATIONES memorat *l. 1. C. d. ædif. priv. verb. ut concameratis ſuperinſtruas, & ipſum concameres.* Occurrunt autem tres ſpecies cancamerationis in balneo. (1.) fornix, qui eſt, ædificatum in arcum; (2.) teſtudo, quæ conſtat ex duobus arcubus in cruce ſe ſecantibus. (3.) hemisphærium, quod eſt orbiculatum. VITRVV. *d. Architect. V. 10. VI. ult.*

§. XXV.

Deinde operis figlini in balneis meminit. *l. 19. §. 1. ff. d. S. V. P. verb. juxta parietem communem cameram ex*

 *figlino*

*ſiglino opere factam.* Vbi per *cameram* cellam balnearem intelligimus, ſicuti PLINIVS hanc vocem de thermis Agrippinis uſurpat *L. 36. H. N. c. 25. Agrippa in thermis, quas Romæ fecit, ſiglinum opus encauſto pinxit non dubie vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet.* Erat autem opus figlinum nihil aliud, quam ſtructura, ex creta argillacea compacta, nobis dici poſſit Gypsvverck. Erantque olim Romæ peculiaria figulorum collegia; PLIN. *L. 35. cap. 12.* Et figulinæ privatorum, qui conceſſum figlinæ operæ jus a publico habebant *l. 6. ff. d. S. R. P. l. 25. §. 1. ff. d. inſtruct. vel inſtrum.*

§. XXVI.

Inter partes thermarum exteriores PORTICVS recenſet *l. 50. C. Th. d. oper. publ. Opus cœptum exſtruatur, & porticus thermas Honorianas præcurrat acie columnarum.* Add. *l. 19. C. d. oper. publ.* Sicuti & porticus ante thermas meminit vetus inſcriptio, quam e Sirmondo exhibet GRVT. *Theſ. inſcript. p. 1090. n. 21.* in cujus fine hæc verba.

-- AD PORTICVM ANTE THERMAS
MARMORIBVS ORNANDAM LEGAVIT.

POLYDOR. VERGIL. *de rer. Invent. L. III. c. 13. in f. Erant in his areæ ampliſſimæ, erant porticus, in porticibus exedræ habentes ſedes, in quibus philoſophi, rhetores, reliquique quibus ſtudia erant cordi ſedebant diſputantes* Conf. BACC. *de Therm. L. VII. c. 5. 6. 7.*

§. XXVII.

Partes ſ. membra *l. 13. ff. manum. teſt.* balnei interiora olim erant varia. Ex his tamen in legibus occurrit

rit TEPIDARIVM *l. 19. pr. ff. d. S. V. P.* quæ eſt una ex cellis balneariis. Cellæ nimirum balneorum apud antiquos potiſſimum quatuor leguntur; (1) *Apodyterium;* (2) *frigidarium;* (3) *Tepidarium;* (4) *Caldarium.* Nonnulli tamen tres ſaltem recenſent, qui nimirum *frigidarium* & *apodyterium* in unam contrahunt cellam. Atque in hunc ſenſum interpretantur *trichorum* STATII *l. Sylv. carm. 357.* ib. GEVART. *in Comm.* cum trichorum a diſtributione triici diceretur. Alii plures addunt ſc. *Vnctuarium & Laconicum*, reſpicientes ad Græcorum morem & antiquam gymnaſiorum inſtitutionem. VITRVV. *de archit. V. c. 10.* atque iſtæ partes quidem erant balneorum ſed in prioribus cellis æque comprehenſæ. Prima cella, ad quam e mediis ad balneum porticibus patebat aditus; Græce ἀποδοτήριον lat. APODYTERIVM a gr. ἀποδύειν *exuere* dicta; quia in iſta cella loturi aut ſudaturi ſe deveſtiebant, veſtesque ſuas ad fidem capſarii ſ. cuſtodis veſtimentorum, deponebant. ISIDOR. *Orig. XV. cap. 2. circ. fin. Apodyterium ubi lavantium veſtimenta ponuntur ab exeundo dictum.* ἀποδύειν *enim Gr. exuere dicitur.* Add. GRAP. *de part. æd. L. I. c. 10. n. 3.* MARLIAN. *Topograph. Rom. c. 7.* Hujus in proximis confiniis ALEIPTERIVM ſ. ELAIOTHESIVM lat. VNCTVARIVM collocant. VITRVV. *Lib. V. c. 11.* atque in iſto luctaturi, aut balneas inituri ungebantur, & peracta dein lotione redungebantur. Add. MERCVR. *de art. gymn. l. 8. p. m. 30.* Huic proxime adjacebat FRIGIDARIVM, quod ab una parte adhærebat elæotheſio, vel apodyterio pro diverſa nimirum ſtructura. VITRVV. *V. c. 11.* ab altera, contigua pro-

xime

xime angulari lateri, quod extrinſecus ad porticus ſpectabat, erat PISCINA FRIGIDA. PLIN. *II. ep. 17. Inde balinei cella frigidaria ſpatioſa & effuſa, cujus in contrariis parietibus* (ſc. verſus porticus) *duo baptiſteria veluti ejecta inſinuantur, abunde capacia, ſi innare in proximo cogites.* Add. eundem *V. ep. 6.* PANCIR. *deſcript. Rom. Reg. XII.* A contrario latere, cujus adverſum elæotheſium attingebat, adjacebat PROPNIGEON balnei. PLIN. *l. c. Adjacet unctuarium hypocauſton; adjacet propnigeon balinei;* Patebatque a frigidario iter in propnigeum, in verſura porticus. VITRVV. *Arch. V. c. 11. Frigidarium ab eoque iter in propnigeum in verſura porticus.* Propnigeum vero proprie ſignificat ſuffocatorium, eſtque locus in balneis, ubi ignis incluſus exæſtuat. πνιγὸς enim gr. lat. *æſtus* it. *Suffocatio*, & πνίγω *ſuffoco* dicitur. SVIDAS. Add. STVCK. *Antiqu. Conviv. II. 25.* Proxime autem introrſus è regione frigidarii, hypocauſto medio, collocata erat CELLA CALDARIA. VITRVV. *L. V. c. 11. in m. Proxime introrſus è regione frigidarii collocetur concamerata ſudatio longitudine duplex, quam latitudine, quæ habeat in verſuris ex una parte Laconicum, ex adverſo caldam lavationem.* Adhærebat hæc cella ab uno angulo propnigeo præfurnii, cujus latus ad verſuram alteram pavimentum hypocauſti cum tubis ambibat: PLIN. *II. ep. 17. Adjacet propnigeon balinei, mox duæ cellæ magis elegantes quam ſumtuoſæ.* Ad alterum angulum ſitum erat TEPIDARIVM, inter frigidariam & caldariam cella media. VITRVV. *V. 10. in. f. Laconicum ſudationesque ſunt conjungendæ tepidario, eæque quam latæ fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemiſphærii.*

Diſ-

Diſſecta erat hæc cella in duas partes medias, quarum una LACONICVN ad ſudationem ſiccam continebat. Græcum inſtitutum, quod primus in thermis ſuis fecit Agrippa, a vapore quem conciperet, dictum *vaporarium* DION. *L. 53. Agrippa Vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem vocatur id genus balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue utebantur.* In hoc, in latere parietis tubulati erat exſectum foramen, per quod calor, tubis vaporariis ex hypocauſto attractus immittebatur. Huic prætextum erat operculum æneum in forma clypei, per cuius reductiones ac dimiſſiones calor pro lubitu aut augeri, aut minui, ac denique varie temperari poterat. VITRVV. *de archit. V. c. 10. Mediumque lumen in hemiſphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat, per cujus reductiones & dimiſſiones perficietur ſudationis temperatura, ipſumque ad circinum fieri oportere videtur, ut æqualiter a medio flammæ vaporisque vis per curvaturæ rotundationes pervagetur.* Ex adverſo ergo *Laconici*, quæ erat in altera parte cellæ, diſtincta camera proprie dicebatur CALDARIVM, it. CALIDA LAVATIO. Vbi ſoliis aquarum calidarum ſe immergebant, corpusque calida abluebant. Apud Romanos ſæpe *Laconicum* in balneis omiſſum eſſe videmus, utpote quibus rarior erat *Laconici* uſus, & plerumque in ipſis balneis deſudabant. Vel, ſi qui ſiccam ſudationem perſequerentur, ſudorem in cella caldaria, admodum laconici, ſine aqua ac balneo ciebant. Vnde *Laconicum* cum *caldario* frequenter confunditur, & opera *Laconici* etiam *caldariis* tribuuntur. E caldario demum exibant ad cellam TEPIDARIAM, a tepore ita dictam.

Quæ media erat & prominebat; ex una parte adnexa erat *caldariæ*, ex altero latere *frigidariæ* adhærebat. PLIN. *V. ep. 6. Frigidariæ cellæ connectitur media, cui ſol benigniſſime præſto eſt, caldariæ magis, prominet enim.* Hæc cella duplici potiſſimum uſui erat, tum illis, qui tepore aeris aut aquæ, vel utriusque ob voluptatem aut valetudinem frui volebant, tum illis, qui aut frigida, aut calida lavari quærebant, hi etenim, ne a frigidario, ad caldarium, & rurſus, a balneo calido, ad frigidam lavationem, tanquam ab uno extremo ad alterum, tranſirent, tepidario medio utebantur, quo & exeuntes de calido paulisper refrigerarentur; tum exeuntes de frigidario, paulatim incaleſcerent; MERCVR. *d. art. gymn. L. I. c. 10.* In privatis tamen balneis, ubi tanta hominum converſatio non erat, *tepidarium* & *apodyterium* idem fuiſſe, non obſcura conjectura firmat MERCVR. *loc. cit.* CICERO enim, cum Arpinatem villam, quæ iudicio Q. fratris ædificabatur, inviſiſſet, ſcribit, *ſe aſſam ſ. caldarium in alterum apodyterii angulum promoviſſe. III. ep. ad Qu. fratr ep. 1.* & hinc clare demonſtrat, *Caldarium* ibi iunctum fuiſſe *apodyterio*, quam conjunctionem nos de *tepidario* deduximus, ut hinc pro una cella apud Ciceronem accipi poſſit. Conf. CORAS. *VI. Miſcell. cap. 10.* Ac initio quidem balnea erant obſcura nec multum illuſtria. SEN. *ep. 86. Balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiqua, non videbatur maioribus noſtris caldum, niſi obſcurum.* Add. MART. *I. ep. 50. IV. ep. 14.* Poſtea cellæ balneariæ latis ac ſpecioſis ad capiendam lucem feneſtris ac ſpecularibus ſunt exornatæ. SIDON. APOLLIN. *II. ep. 2. Intra conclave ſuc-*

*cen-*

*cenſum ſolidus dies, & hæc abundantia lucis incluſæ, ut verecundos quoque compellat, aliquid ſe plus putare, quam nudos.* Add. STAT. *in baln. Etruſci I. Sylv. carm. verſ. 42. & ſeqq.* SEN. *ep. 86. At nunc blattaria vocant balnea, ſi qua non ita aptata ſunt, ut totius diei ſolem feneſtris amplisſimis recipiant.* & p. p. *quantæ nunc aliqui ruſticitatis damnant Scipionem, quod non in caldarium ſuum latis ſpecularibus diem admiſerit, quod non in multa luce decoquebatur.* Erant autem ſpecularia e genere lapidis ad vitri modum pellucentis. ISIDOR. *Orig. XV. c. 4. in f. Specularis lapis vocatus eſt; quod vitri more transluceat, repertus primum in Hiſpania citeriori, & circa Sagobricam Vrbem, invenitur enim ſub terra, atque ſcinditur in quaslibet tenues cruſtas.* Ex hoc ergo lapide teſtæ ſ. orbes quadrati fiebant, qui feneſtris incluſi lucem immittebant. SEN. *ep. 90. quædam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus, ut ſpeculariorum uſum, perlucente teſta clarum transmittentium diem.* Conf. PLIN. *H. N. L. 36. c. 26.*

## §. XXVIII.

In his igitur cellis (2) SIMVLACRA poſita perhibet *l. 5. C. d. pagan. l. 20. C. Th. eod.* Scilicet omnem penitus luxuriam tectis, parietibus, ac inſtratis balnei illinebant, quæ modo auro argentoque inducebant, modo encauſtico opere pingebant, modo variis cælaturis diſtinguebant, cruſtisque pretioſi marmoris ad ſpeciem laminarum attenuatis obtegebant, latis denique ac ſpecioſis orbibus ad proſpectum aperiebant. De tectis balneorum SIDON. APOLLIN. *carm. 22. in med.*

*Sectilibus paries tubulis cruſtatus ad aurea*
*Tecta venit, fulvo nimis abſcondenda metallo;*
*Nam locuples fortuna domus non poſſe latere*
*Diuitias prodit, cum ſic ſua culmina celet.*

Et plenius SEN. *ep. 86. pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt, niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, niſi vitro abſconditur camera.* Intelligo autem hic per cameras vitreas, ipſa tecta, parietes ac pavimenta cellarum variis vitri ſ. lapidis perlucentis teſtis exornata. Conf. STAT. *in baln. Etruſc. I. Sylv. carm.5.v. 42.* FABRIC. *Rom. c.19.* PLIN. *L.35. cap. 1. & c. 4.* SIDON. APOLLIN. *II. ep. 2.* Inſtrata porro balneorum variis lapidum pretioſorum cruſtulis erant exornata, in quibus ſpecialiter *Lapillos aſaroticos* memorat STAT. *1. Sylv. carm. 3. v. 52. & ſeq.*

*Dum vagor aſpectu, viſusque per omnia duco,*
*Calcabam nec opinus opes, nam ſplendor ab alto*
*Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ*
*Monſtravere ſolum, varias ubi picta per artes*
*Gaudet humus, ſuberantque novis Aſarota figuris*
*Expauere gradus &c.*

Notamus autem cum CASP. GEVART. in *Comment. ad h. l. Aſarota* fuiſſe pavimenta, in quibus variis coloribus cœnarum reliquiæ erant depictæ, ita, ut veras easdem quis credere potuiſſet. Quod firmat PLINIVS H. N. *L.36. c. 25.* ubi ſic ait: *Celeberrimus fuit in pavimentorum genere Zenodorus; qui Pergami ſtravit, quem vocant* ἀσάρωτον οἶκον, *quoniam purgamenta cœnæ, quæque everri ſolent, in pavimen-*

*vimento veluti relicta fecerat, parvis e teſtulis tinctisque in varios colores.* Add. SIDON. APOLLIN. *carm. 23.* MART. *XII. ep. 40.* Conf. porro de luxu ac opulentia balneorum STAT. *I. Sylv. carm. 5.* SEN. *ep. 16. ant. fin. it. ep. 86.* In ipſis denique laquearibus camerarum picturæ variæ, tum ad luxum, tum ad libidinem compoſitæ erant; Quas ipſas delicias eleganter caſtigat SIDON. APOLLIN. *II. ep. 2. Interior,* inquiens, *parietum facies ſolo lævigati cæmenti candore contenta eſt. Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis proſtat hiſtoria, quæ ſicut ornat artem, ſic devenuſtat artificem. Abſunt ridiculi veſtitu & vultibus hiſtriones, pigmentis multicoloribus Philiſtionis ſupellectilem mentientes. Abſunt lubrici tortuoſique pugilatu & nexibus palæſtritæ, quorum etiam viventum luctas, ſi involvantur obſcœnius, caſta confeſtim gymnaſiarcharum virga diſſolvit.* Erant præterea paſſim in balneis STATVAE ac SIMVLACRA Deorum Dearumque poſita, quibus etiam ſacrificia ferebant, TERTVLL. *de Spectac. c. 8. Plateæ,* inquit, *& forum & balneæ & ſtabula ſine idolo omnino non ſunt.* AMBROS. *II. adv. Symmach.* ait; *Sacrificia ubique concelebrant; Non illis ſatis ſunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ ſimulacris &c.* Similiter a Lyſippo Pythagora Samio, inſigni artifice, factam ſtatuam, quæ diſtringentem ſe in balneis, exprimeret, M. Agrippa ante thermas ſuas dicavit, uti teſtatur PLIN. H. N. *L. 34. c. 8.* Hæc igitur SIMVLACRA ac STATVAE, cum in ſuperſtitionem atque idololatriam gentilium ceſſerint, igitur ea lauacris evellenda Sanctiſſimi Impp. decreverunt, ad cultum gentilismi penitus extirpandum, *in d. l. 5. C. d. pagan.*

§. XXIX.

(3) Occurrit SPHAERISTERIVM *l. 16. ff. mand.* dictum a gr. σφαιρίζειν i. e. *pilam ludere*, auctoribus Suida & Polluce, a quo σφαιρισταὶ dicuntur ſphærularis ludi ſtudioſi. BVDAE. *annot. prior. in Pand. p. 379.* Eratque locus in balneis, ubi varia exercitationum genera veteres habebant. PLIN. *V. ep. 6. Apodyterio ſuperpoſitum eſt ſphæriſterium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Ideo autem balneis iuncta erant ſphæriſteria, ut ab exercitiis dein lavatum irent. LAMPRID. *in Alex. c. 30. Poſt lectionem operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus mollioribus dabat; atque inde unctus lavabatur, ita, ut caldariis vel nunquam vel raro, piſcina ſemper uteretur, in eaque una hora prope maneret.*

§. XXX.

(4.) Recenſetur FORNAX *l. 58. §. 2. ff. loc. l. 27. §. 9. ff. ad leg. aquil.* & HYPOCAVSTVM dicitur *l. 16. ff. mand. l. 55.* §. *3. ff. d. leg. 3.* Gr. ὑπόκαυστον ἐκ τοῦ ὑποκαίειν. *a ſuccedendo*, erat enim, ut recte vertit GOTHOFR. *ad d. l. 55. fornax ſeu hypocauſtum balnei locus, qui, ſuccenſo ſub pavimento igne, calefieri ſolebat.* Male proinde ACCVRSIVS *in gloſſa d. l. 16. mand.* hypocauſta dicta vult ab ὑπὸ & στέρον, *ſtatio*, quaſi eſſet *ſtatio ſubterranea in æſtate bona.* Nec ſibi conſtat gloſſa, dum rurſus *in d. l. 55. ff. d. leg. 3. hypocauſtum* interpretatur, quod fuerit *locus, ubi ſunt ægroti, qui quandoque indigent igne,* & provocat ad *d. l. 16.* Verum etſi in *d. l. 16.* agatur de ægroto, tamen hypocauſton etiam de fornace acceptum melius ad valetudinem aptum habebatur, quam

ſi

ſi capias de ſtatione ſubterranea. Præterea enim quod hæc explicatio penitus adverſetur nominis notationi, accedit, quod altero Accurſii ſenſu, *hypocauſtum*, apud ſcriptores nuspiam legatur; Ac potius ſi hypocauſtum ad valetudinis uſum ædificatum capere velimus, illud interpretandum eſt de vaporibus hypocauſti, quorum uſus moderatus ad ſanitatem credebatur proficere. PLIN. *L. 28. c. 4 perfundere caput calida, ante balinearum vaporationem, & poſtea frigida, ſaluberrimum intelligitur.* Erat autem hypocauſtum in medio intimo, inter circumjectas utrinque cellas, cum PRAEFVRNIO, quod erat os fornacis patens, per quod ligna ingerebantur. Ipſum interius concameratum; eidemque ſuperjectum PAVIMENTVM ex coctili latere, quod a calore FERVENS dicitur. PLIN. *III. ep. 14. abjiciunt in balneo, in fervens pavimentum, ut experirentur, an viveret.* add. CHOVL. *de balneis pag. m. 93.* qui imaginem fornacis ex Vitruvio exhibet.

## §. XXXI.

Huic ergo TVBI AENEI erant ſuperpoſiti, quos *tubulos* vocat *l. 13. ff. d. S. V. P.* quam lectionem adverſos alios libros, quibus *tribulos* legitur, defendit BVDAEVS *in annot. Pand. ad h. l.* Eosdem *cuniculos* dicit *l. 3. §. 6. ff. d. riv.* Hi in rectam altitudinem, ad latus fornacis elevati, parietibus camerarum adnexis erant adpliciti; In his igitur exſecta erant foramina, in qua ignis hypocauſti flammam ac vaporem emittebat, qui proin tubis incluſus omnes parietes tubulatos pervagabatur, atque ita cameras balnearum ac vaſa ſuper pavi-

vimento ſuſpenſa calefaciebat; inde STAT. *I. Sylv. carm. 5. verſ. 57. de balneo Etruſci*

*Quid nunc ſtrata ſolo referam tubulata, crepantes*
*Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat*
*Aedibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.*

Add. I. *Sylv. 3. verſ. 43. & ſeqq.* Diſerte SEN. *ep. 90. quædam noſtra demum prodiiſſe memoria ſcimus, ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret æqualiter.* it. AVSON. *in Moſell.*

*Quid? quæ ſulphurea ſubſtructa crepidine fumant*
*Balnea, ferventi cum Mulciber hauſtus operto*
*Volvit anhelatas tectoria per cava flammas*
*Incluſum glomerans æſtu exſpirante vaporem.*

Erant hi tubi ex ære vel ex opere figlino, uti meminit PLIN. *L. 35. c. 12.* ibi: *figlinarum opera imbricibus tubulis tegulisque ad balineas hamatis, vel ad tecta coctilibus laterculis frontatisque.* &c. Foraminibus tuborum feneſtra ſeu operculum erat præjectum verſatile, quod foramini obductum reductumque calorem vel immittit vel cohibet. PLIN. *II. ep. 17. Applicitum eſt cubiculo hypocauſton perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet.* Add. MERCVR. *d. art. gymn. d. c. 10.* Calor ex his tubis ad cameras exhalans, VAPOR decebatur; inde *vapores balnearii. l. 3. §. 6. ff. d. riv. l. 8. §. 7. ff. ſi Serv. vind.* dicti calores, quia e hypocauſto per tubos evaporabant; ad exemplum ſc. evaporationum, quæ e thermis naturalibus exhalabant, quarum quandoque tanta erat vis, ut ipſa vaſa ſuperpoſita

poſita ac balneas calefacerent. PLIN. *hiſt. nat. L. 31. c. 2. Vapore ipſo quoque aliquæ aquæ proſunt, tanta eſt vis, ut balneas calefaciant, ac frigidam etiam in ſoliis fervere cogant.* Modum autem ac rationem naturalem, qua iſti vapores ex hypocauſto ad cameras, ſ. cellas balnearum fuerint delati, eleganter deſcribit VITRVV. *d. Archit. VIII. c.* 2. *Licet*, inquit, *& ex balneis exemplum capere. Nullæ enim cameræ, quæ ſunt caldariorum, ſupra ſe poſſunt habere fontes, ſed cœlum, quod eſt ibi, ex præfurniis ab ignis vapore percalefactum, corripit ex pavimentis aquam, & aufert ſecum in camerarum curvaturas, & eam ſuſtinet; ideo, quod ſemper vapor calidus in altitudinem ſe trudet, & primo non remittitur propter brevitatem, ſimul autem plus humoris habet congeſtum, non poteſt ſuſtineri propter gravitatem, ſed ſtillat ſuper lavantium capita.* Conf. CASSIODOR. *II. var. 39.* it. *IX. var. 6.*

## §. XXXII.

(5) Leguntur FISTVLAE balneorum *l. 58. ſ. 2. ff. loc.* per quas aquæ in balneum fluebant. *l. 18. ff. d. S. U. P.* Quarum aliæ ad ſubterraneos meatus erant diſpoſitæ, quæ aquas ex caſtellis publicis advehebant in piſcinas balneorum *l. 19. ff. de S. U. P. l. 78. ff. d. contr. emt.* vel inutilem aquam poſt lotionem ad cloacas per canales ſubterraneos egerebant. BARTH. MARLIAN. *Topogr. Rom. cap. 7.* Aliæ ex piſcina ad vaſa, & ex his rurſus ad cellas provehebant; CASSIOD. *II. Var. 39.* Scilicet quod ſuperſtratum erat fornaci pavimentum, ſuſtinebat certas pilas, ad quas triplicia vaſa erant ſuſpenſa, ſcilicet, *caldarium, tepidarium* ac *frigidarium*, unde & ipſæ tres cameræ balnei ſuam denominationem ac-

 ce-

ceperunt; Atque ita quidem erant poſita, ut *caldarium* vas infimum & fornaci proximum, *tepidarium*, medium, & *frigidarium* ſummum teneret locum. In primum ergo vas ex piſcina balnei per fiſtulas aquæ frigidæ influebant; ex hoc rurſus deſcendebant in medium, & demum in ultimum vas, & ſic quo propius ad pavimentum defluerent aquæ, vapore hypocauſti incaleſcebant. VITRVV. *V. arch. c. 16. Ahena ſuper hypocauſtum tria ſunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium, & ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ calidæ exierit, influat, de frigidario in tepidarium ad eundem modum, teſtudinesque alveorum ex communi hypocauſi calefacientur.* Quas triplices proinde aquarum deſcenſiones *gradus* appellat SEN. *ep. 86. quantum aquarum per gradus cum fragore labantium.* Erant autem iſtæ fiſtulæ non apertæ, ſed clauſæ ab orificio utroque quo aquæ effluebant ac influebant, ne ſcilicet e vapore aliquid traherent. SEN. *N. Q. III. 24. Facere ſolemus dracones & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per declive datas, ut ſæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpatii, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida itaque intrat, effluit calida; idem ſub terra Empedocles exiſtimat fieri, quem non falli credunt ii, quibus balnearia ſine igne calefiunt. Spiritus in illa fervens loco æſtuanti infunditur; hic per tubos lapſus non aliter, quam igne ſubdito parietes & vaſa balnei calefacit. Omnis denique frigida tranſitu mutatur in calidam, nec trahit ſaporem evaporatio, quia clauſa perlabitur.* Ex ſingulo igitur vaſe rurſus exibant fiſtulæ quædam minores, quæ in cellas ſeu diætas balneorum prominebant, iisque adplumbata

erant

erant epiſtomia verſatilia, quæ aut aquas emittebant, aut contraria verſatione rurſus cohibebant, pro lavantium arbitrio. *l. 17. §. 8. ff. d. act. emt. vend.* Add. CAEPOLL. *d. S. U. P. cap. 49.* Erant denique (6.) SCALAE ac ſellæ in uſum lavantium in balneis ſtructæ; quas adducit *l. 19. §. 2. ff. d. S. U. P.* & memorat OLYMPIODOR. in Excerptis Phot. *ἦσαν δὲ καὶ λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη, αἱ δὲ Ἀντονινιαναὶ οὕτω καλούμεναι εἰς χρεῖαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας ἐκ μαρμάρου κατασκευασμένας ξεστοῦ. Erant autem & thermæ publicæ ingentis magnitudinis, Antonianæ ſic dictæ, in uſum lavantium ſellas habuerunt mille ſexcentas è marmore.* Conf. CHOVL. *diſſertat. de balneis p. m. 98.*

## §. XXXIII.

Qui balneum collapſum ceſſante domino in area aliena refabricaverat, in præmium inſtaurationis dominium ſtatim conſequebatur, ex placito Veſpaſiani atque Adriani Imp. qui id ſanxerunt, ut urbs ruinis atque incendiis deformis reſtauraretur. Poſt D. Marcus oratione ſua SCto deſuper facto, quadrimeſtre ſpatium indulſit domino, intra quod offerre impenſas factas & balneum ſuæ areæ ſuperſtructum ſibi vindicare poſſit, quo tamen elapſo, dominium ac jus erat præſcriptione extinctum *l. 52. §. 10. ff. pr. ſoc.* idque confirmavit PHILIPPVS Imp. *l. 4. C. d. ædif. priv.* SPRENG. *d. Jur. ædif. cap. 4. §. 4.* & Hadriani edictum penitus antiquarunt Diocletianus & Maximinianus Impp. *in l. 5. in f. C. d. ædif. priv.* CVIAC. *19. Obſ. 20.* Cæterum balneum publicum reficere qui vellet, Principis aut Præſidis auctoritatem adhibere debebat, *arg. l. 9. §. 4. ff. d. r. div.* BRVN-

NEM. *ad l. 3. C. d. diverſ. præd. n.* 2. Balneum vero reficere aut collapſum reſtituere prohibitus, habet præter generalia in cauſis ædificiorum data interdicta, etiam ſpecialia in hos caſus a Prætore propoſita; ita de rivo aquæ calidæ reficiendæ competit interdictum de rivis *l. 3. l. 5. ff. d. riv.* it. de cuniculo balnei reſtituendo, per quem vapor trahitur in balneariis vaporibus, utile hoc interdictum de rivis datur *d. l. 3. §. 6.* Add. ſupr. *§. 31.* it. huc pertinet interdictum ne quis prohibeatur aquam ex caſtello publico ducere, quo utitur is, cui ius aquæ ducendæ datum eſt *l. 1. §. 38. & ſeqq. ff. d. aqu. quotid. & æſtiv.* Conf. CASSIOD. *II. Var. form. ep. 39.*

# CAP. III.

## DE
## INSTRVCTV BALNEI.

### *SVMMARIA.*

*Inſtructus balnei quid.* §. 1. *eſt duplex, rerum ac perſonarum, ib. utenſilia quæ. ib. aqua ac unguenta balnei ad lavationem.* §. 2. *Ligna ad balnei calefactionem,* §. 3. *argentum balneare quid.* §. 4. *matula, lavatio, riſcus, ib. quæ hodie ſint vaſa balnei.* §. 5. *Veſtis balnearis.* §. 6. *quæ hodie illuc pertineant. ib. Servi balneares.* §. 7. *Servi publico balneo qui miniſtraverint.* §. 8. *mancipes thermarum. ib. mancipes ſalinarum. ib. Lintrones & Navicularii. ib. dendrophori. ib. familia aquaria. ib. balneator quis.* §. 9. *fornacator, capſarius.* §. 10. *ancillæ balneares.* §. 11. *inſtructus balnei quatenus pro immobili reputetur.* §. 12.

§. I.

§. I.

Balnea exſtructa neceſſariis ad lavationem rebus ac miniſteriis ſunt inſtruenda, neque enim exerceri poteſt balnei poſſeſſio ſine inſtrumentorum apparatu, *l. 12. pr. ff. d. inſtr. vel inſtr.* inde balnei INSTRVCTVS, qui omnia ea complectitur, ſine quibus uſum ſuum balnea præbere non poſſunt. *l. 17. §. 2. ff. d. inſtr. vel inſtrum. l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* Eſt vero inſtructus balneorum duplex; Rerum ac Perſonarum; arg. *l. 185. ff. d. V. S.* Vid. *l. 40. §. 1. d. aur. & arg. leg. l. 13. §. 1. ff. d. inſtr. leg.* Illæ uno nomine VTENSILIA dicuntur, ab utendo, & omnia inſtrumenta, vaſa, atque apparatum lavatorium continent. APVLEI. in Flor. *p. m. 346. n. 35. Strigilem & ampullam cæteraque balnei utenſilia nundinis mercari.* Labandria dixit GELLIVS *N. A. XVI. c. 17. Laberius & elutriare lintea & labandria dixit, quæ ad lavandum ſint data.* Germanice dicuntur ex uſu hodierno *Bade - Geräthe, Bade - Zeug. Handwercks - Zeug. Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader - Ordn. rubr. art.* 22. *von Sauber - und Reinigung des Handwercks - Zeuges.*

§. II.

Ad inſtructum rerum balnearem in legibus recenſetur (I) AQVA ad bibendum lavandumque familiam parata *l. 12. §. 10. ff. d. inſtrum. leg.* Etenim ad præcipuum lavationis ac balnei uſum pertinet aqua; unde balneum ſine aqua per quietem viſum, malum quid portendere veteribus Oneirocriticis fuit perſuaſum. ARTEMIDOR. *1 Oneicr. c. 66.* Et proinde balneum & aquas conjungit vetus inſcriptio ex Appiano ap. GRVT. *Theſ. inſcript. p. 181. n. 6.*

L. C. LVVIENVS L. F. ANI
CILO
BALNEVM ET
AQVAS DEDIT.

Vbi per aquas potiſſimum intelligo jus aquæ ducendæ ex publicis caſtellis ad balnea, hoc enim conſenſu curatoris aquarum poterat in alium cum balneo transferri; Cæterum aquam in balneis uſitabant vel puram ſeu meram, vel mixtam, ac vario liquorum genere temperatam; τὸ ὕδωρ ἄκρατον, aquam meram Græci dixerunt, qua pocula & balnea ſolebant diluere. ATHEN. *Deipnos. II. c. 6.* GELL. *N. A. XIX. c. 5.* PLIN. *L. 31. c. 3* it. *L. 19. c. 4.* Ad has aquas percolandas ſacco utebantur linteo, in balneis fiſtularum orificiis prætenſo, quo pura fieret atque illimis: MART. *XIV. ep. 94.* inde aqua ſaccata apud SEN. *ep. 86. Non ſaccata aqua lauabatur, ſed ſæpe turbida, & cum plueret vehementius pene lutulenta.* Vino etiam roſis ac odoribus infecto piſcinas balneorum replebant. LAMPRID. *in Heliogab. c. 10. condito piſcinas & ſolia temperavit, & roſato atque abſinthiato.* Add. *c. 24. eod.* it. *de Alexandr. Sev. c. 37. in f.* CAPITOL. *in vit. Gord. c. 19.* Poppæam Neronis Principis uxorem, ad candorem corporis cuſtodiendum & cutem erugandam, lacte aſinino integra ſolia balinearum temperaſſe, auctor eſt PLIN. *L. 28. c. 12.* it. *L. XI. c. 41.* & IVVENAL. *Satyr. VI.* Nec ſufficiebat aqua ſimplex, aut varie infecta, ſed meris etiam unguentis atque odoribus lavabantur. Vid. ATHEN. *Deipnos. I. c. 15.* quam unguentariam lavationem primus excogitavit Caligula, teſte SVET. *in vit. c. 37.* Secutus eundem Claudius Nero EVTROP. *L. VII. c. 9.*

*Suc-*

*Succeſſit huic Nero Caligulæ avunculo ſuo ſimillimus, qui imperium Romanum & deformavit & deminuit; inuſitata luxuriæ ſumptuumque ratione, ut qui exemplo C. Caligulæ calidis & frigidis lavaret unguentis.* Qui poſtea luxus in privatum etiam morem prolapſus legitur apud PLIN. *H. N. L. 13. c. 3. Nec non aliquem ex privatis audivimus juſſiſſe, ſpargi parietes balinearum unguento, atque Cajum principem ſolia temperari; ac ne principale videatur hoc bonum, & poſtea quendam ex ſervis Neronis.* Quoad uſum hodiernum hic quæritur? An conceſſo balneo a magiſtratu, jus quoque æquæ ducendæ ex flumine publicisque aquagiis conceſſum habeatur? Aff. quia ſc. balnei uſus ſine aqua nullus eſt. *l. 17. §. 2. ff. d. inſtr.*

§. III.

(2) LIGNA ad calefactionem balnei & diætarum hypocauſtorum parata. *l. 55. §. 3. ff. d. leg. 3.* ubi VLPIANVS; *Lignis autem legatis,* inquit, *quod comburendi cauſa paratum eſt, continetur, ſeu ad balnei calefactionem ſeu ad dietarum hypocauſtorum &c. ſolebat uti.* gloſſa hic legit hypocauſtarum, & veluti adjectivum ad diætas refert, ſed male: eſt enim hic hypocauſtum nihil aliud quam fornax, qui gr. ὑποκάυσις a ſubdendo ligna & ignem dicitur, unde nimirum vapor ſeu calor per tubos diætis adplicitos ad cubicula trahebatur. PLIN. *V. ep. 6. idem cubiculum hyeme tepidiſſimum, quia plurimo ſole perfunditur; Cohæret hypocauſton, & ſi dies nubilus immiſſo vapore ſolis vicem ſupplet.*

§. IV.

Vaſa quidem in balneis erant plura, quorum tamen omnium ſeparatim in legibus mentio non fit; generatim

tan-

tantum legitur; ARGENTVM BALNEARE, cujus mentionem injicit SCAEVOLA JCtus in *l. 40. §. 1. ff. d. aur. & arg. leg.* Eſt hoc nihil aliud, quam ſupellex ſeu inſtructus balnei ex argento factus, quo in balineo uti opulentiores conſueverant; ſicuti alias legitur *argentum eſcale ac potorium* apud MODESTINVM *in l. 8. ff. d. ſupell. leg.* item apud POMPONIVM *l. 21. ff. d. aur. & arg. leg.* Priſcis enim civitatis moribus ab avaritia & luxuria adhuc alienis, fictili, lignea, vitrea, aut ænea utebantur ſupellectile; at poſtea, obſoleta hac priſtina frugalitate, ex ebore, teſtudine, argento, marmore, auro, gemmis, ficta, ſculpta, ornataque vaſa ad uſum balnearem miniſtrabant, uti eleganter hunc luxum perſtringit CELSVS JCtus *l. 7. ff. d. ſupell. leg.* & PLIN. *L. 33. c. 12.* ſtratas argento mulierum balineas reprehendit. Colligitur autem ex *d. l. 40.* duplex argentum balneare fuiſſe, alterum quotidianum; alterum quo diebus feſtis in balneo uterentur. Conf. DONAT. *d. Vrb. Rom. L. I. c. 27.* In ſpecie porro legitur *d. l. 25. §. 10.* (1) MATVLA; quam vas urinæ explicat FESTVS *de verb. ſignif.* hinc & matula apud MANTVAN. PERS. *IV. 3. v. 64.* dicitur de homine vili, inſulſo, ignavo, hic tamen potius vas aquarium intelligi, monet CVIAC. *X. Obſ. 17.* (2) LAVATIO, ſive, uti in media ætate adpellabatur *lavatorium*, quod Gloſſæ veteres explicant vas purgandis ſordibus deputatum. Non tamen hujus uſus tam in balneis publicis, ſed, ut ex Vlpiano diſcimus, ad mundum muliebrem ſpectabat. Fuit ergo in uſu privato mulierum, quo utebantur ad abluendas ſordes. (3) RISCVS, quem Hottomannus & Briſſonius explicat fuiſſe capſulam, in qua linteola munda

munda mulieres reponerent, quibus lotam corporis partem abſtergant; in quam etiam ſententiam diſcedit CVIAC. *VIII. Obſ. 1.* motus iis quæ habet POLLVX *VII. c. 10.* cui ῥισκὸς arcæ genus eſt, in qua ſervantur veſtes. Inter vaſa, quæ hodie ad inſtructum balnei pertinent, ſunt vannus, *die Wanne, Bade-Wanne, Bade-Becken,* &c. quæ ex ſtatutis nonnullorum locorum ad geradam pertinent. Vti reſponſo Scabinatus Lipſienſis probat RICHT. *de ſucceſſ. ab inteſt. Sect. I. membr. I. n. 78.*

§. V.

De inſtrumentis quoque balneatoriis nihil in Principum placitis præcipue habetur; præter id, quod SPECVLVM inter mundum muliebrem, quo etiam in balneis fœminæ utebantur, refertur *l. 25. §. 10. d. aur. & arg. leg.* eratque illud Vitrum, a ſpeciendo, ſpeculum dictum. VARRO de *LL. Lib. IV. c. 29.* in quo faciei imaginem contemplabantur, an munda eſſet. *l. 19. §. 8. ff. eod.* inde SEN. ep. 95. *Vetemus lintea & ſtrigiles Jovi ferre & ſpeculum teneri Junoni.* Hodie ad inſtrumenta balnei ac balneatorum referuntur; *die Laſs- und Schröpf-Eiſen.* Et cum balneatores curationibus quoque externis operam ſuam adhibeant, eo referuntur emplaſtra, unguenta, aliaque huc pertinentia. De quibus huc generaliter notandum, quod balneator eadem ſemper parata, idonea ac bona habere debeat, quo, caſu neceſſitatis eveniente, ſtatim adeſſe poſſit, nec mora periculum augeat. Vti proviſum *in der Gräfl. Schwarzb. Bader-Ordn. des Amts Gehren. art. 13. in n. auch ſoll ieder ſeine Pflaſter, unguenten, oder was ihnen ſonſten zu appliciren, friſch und tüchtig jederzeit in guter Bereitſchaft haben, damit in der*

*Noth er den Preshaften beyſpringen, und nicht erſtlich bey andern kauffen, oder in den Apothecken zurichten laſſen dürffe.* it. *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bade-Ordn. art.* 7. ibi. *Sondern auch das Werckzeug rein und ſauber erhalten, und was nöthig an Medicamenten und Pflaſtern zur Nothdurft in Vorrath geſchaffet, oder in deſſen Verbleibung ein ſolcher Meiſter mit des Handwercks-Straffe beleget werde.* Debet inde balneator diligenter inſtrumenta viſitare, atque miniſtros ſuos ad ea purganda cogere, uti clarius proviſum *in der Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art.* 22. *Soll ein jeder Meiſter ſeiner Geſellen und Mittlerer Zeug alle Monat mit Fleis beſichtigen, und ſie dahin halten, daſs ſie es rein und ſauber halten, damit dem Nechſten kein Schade zugefüget werde; Auch damit die Geſellen und Mittlerer ſich nicht mit etwas zu entſchuldigen haben möchten, ſollen ihnen die Meiſter den halben Dienſtag oder Freytag vergünſtigen, auf daſs ſie ſolches deſto beſſer zurichten können.*

§. VI.

Porro legitur VESTIS *ſeceſſus cauſa poſita l. 12. §. 41. ff. d. inſtruct. leg.* quæ BALNEARIS verti poteſt, quia & balnea inter ſeceſſus referuntur; notat enim ſeceſſus omnem locum, quo animi relaxandi cauſa ſecedimus *l. 2. §. 9. ff. de recept.* & aperte de balneo dicitur PLIN. *III. ep. 5. in ſeceſſu ſolum balinei.* Erat nimirum antiquis in uſu, ut ſingulas ætates, vitæque ordines & ſtatus certis veſtium generibus diſcernerent; uti nota eſt prætexta puerorum, toga virorum, ſaga militum, &c. aliam præterea veſtem in foro, aliam domi, rurſus aliam in urbe, quam in rure uſurpabant &c. uti late hæc explicat OCTAVIVS FERRARIVS elegantiſſimo ſuo tracta-

tu

tu *de re viſtiaria.* Atque ideo & balneis certa erat præſtituta veſtis, dicta *balnearis.* LAMPRID. in Alex. c. 42. *Thermis & ſuis & veterum frequenter cum populo uſus eſt, & æſtate maxime, balneari veſte Palatium revertens, hoc ſolum imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat.* Add. FERRARIVS *de re veſt. p. II. lib. I. cap. 9.* tradens, veſtem balnearem æſtate *lacernam* fuiſſe; hyeme *lænam.* Scilicet talia erant veſtimenta, quæ aliis ſuperinjicerentur, ut commodius iſtis poſſent uti. Ad veſtimenta balnearia hodie ſpeciatim referuntur *Schaub-Hut oder Bade-Hut*, i. e. mitra vel pileolus ex ſtramine aut lana contextus, quo caput operiamus, ne frigore aut humidis vaporibus nimis gravetur. (2) *Die Bade-Schürzen*, ſeu, velaria, quæ ante corporis partes inferiores in balneis prætendimus; de quibus ſingularem conſuetudinem refert ZEILER *Cent. I. ep. 16.* his verbis; *Um das Jahr Chriſti 1110. war der Brauch zu Augſpurg, daſs die Bürger ihren Biſchoff, ſo oft er badete, 2. Bade-Schürzen, und ſeinen Caplan 40. Pfennige ſchenckten.* (3) *Bade-Lacken oder Bade-Tuch.* (4) *Bade-Kappen.* Pertinent denique pro diverſis locorum ſtatutis hæc veſtimenta balneorum ac ornamenta muliebria ad geradam; ſicuti *die Bade-Lacken*, Statutis Hervordienſibus inter geradam referuntur: it. Statutis Mindenſibus *L. 2. tit. 4. art. 4. Zum Gerade gehöret &c. ein Bade-Tuch und ein Bade-Lacken.* Ex judicii aulici Wittenbergenſis Reſponſo eodem cenſentur *die Bade-Kappen*, quod refert RICHT. *d. ſucceſſ. ab inteſt. Sect. I. membr. I. n. 71. & ſeqq.* Veſtimenta vero virilia, quibus vir uſus fuit in balneo, vel quibus communiter vir & uxor fuerint uſi, ſi maritus paraverit, nec mulier ea-

dem in ſua poſſeſſione habuerit, ad geradam uxoris a proxima cognata trahi non poſſunt; uti reſponderunt Scabini *zu Donna* ad conceptionem Sim. Piſtoris; ibi: *als thut ihr auch den Petſchafts-Ring, eure Hembden, Bade-Geräthe und Kleider, die ihr ſie habt laſſen gebrauchen, aber gleichwohl nicht gerecht machen, ſelbſt darvon ſondern.* vid. RICHT. *loc. cit.*

§. VII.

Inſtructus perſonarum complectitur miniſteria, quæ olim balneorum exhibitionem curabant. Erantque in balneis privatis ſervi privatorum domeſtici *l. 15. ſ. 1. ff. d. uſufr.* qui quando domi lavari vellet dominus, balnea parabant; iisdem & lautiores in balneis publicis utebantur, qui ſc. plebeja publicæ familiæ manu tractari nollent. APPVLEI. *IV. metam. p. m. 134. hæc adhuc me loquente, manu firmiter injecta, juſſis balnearibus adſequi, producit ad lavacrum proximum.*

§. VIII.

In balneis publicis, quæ a privatis illorum redemtoribus, in urbe aut in provinciis, publice præbebantur ad quæſtum, miniſtrabant mancipia ipſius balneatoris arbitrio delecta *l. 4. ſ. 2. ff. d. his qu. not. infam.* vel a rep. ſub locationis penſione locatori præſtabantur *l. 3. C. Th. d. conlat. donat. verſ. ſub locationis penſione retinentur in memoratis locis.* Ad iſta vero balnea, quæ magiſtratus aut princeps publice curabat, deputati erant ſervi ac homines publici, qui ſub ſuis officiis ex Principis præſcripto balneis ſerviebant; Ex his porro quidam in ipſis balneis & lavatione miniſtrabant, qui erant ſub cura, imperio ac diſciplina pædagogi ac balneatoris, hoſpitesque

que pro more lavabant, diſtringebant, vellebant, ungebant; qui familiam thermenſem conſtituebant, cujus meminit vetus inſcriptio ap. GRVT. *Theſ. inſcript. p. 181. n. 5.*

AEVITATI DOMINORVM
FAMILIAE THERMENSI
THERMARVM VRBAN I. A.

Alii extra balneum, lignorum ſubvectione, lavacrorum miniſteriis vacabant; & hi ſpeciatim MANCIPES THERMARVM vocantur rubr. *C. Th. d. mancip. thermar. & ſubvect. lignor.* Erant autem certa Corporatorum Collegia, huic lignorum functioni obnoxia, nimirum primo *Corporati Salinarum publicarum l. 1. C. Th. d. mancip. therm.* qui erant publici ſalis coquendi conductores, *l. 11. C. d. vectigal.* & per familiam ſuam iſtas ſalinas curabant. *l. 1. ff. quod cui. univ. nom. l. 8. §. 8. ff. d. pœn.* CVIAC. *VII. Obſ. 4.* Hi igitur loco vectigalis, quod propter exercitium ſalinarum pendebant fiſco *l. 17. ff. d. V. S. l. 13. ff. d. publican.* ligna convehenda curabant ad uſum lavacrorum publicorum. SYMM. *in auctuar. ep. 19. totis viribus adjuvandi ſunt*, inquit, *communis patriæ corporati, præcipue mancipes ſalinarum, qui exercent lavacra lignorum præbitione.* Urgente dein defectu, non ſufficientibus ſalinarum miniſteriis ad lavacrorum neceſſitates, NAVICVLARII & LINTRONES, qui publicas ſpecies fiſcales navibus deportandas ſuſcipiebant. *rubr. & l. 7. C. d. navic. t. t. C. Th. eod.* ad parem lignariæ hujus functionis ſollicitudinem a Conſtantino Imp. vocari cœperunt, quod poſtea reſcriptum confirmavit VALENTINIANVS Sen. cum VALENTE *l. 10. C. Th. d. navicul.*

*l. 13. eod.* Add. SYMM. *X. ep. 58.* Denique huc referunt CORPVS DENDROPHORORVM, cujus duo genera in legibus atque inſcriptionibus memorantur: unum erat gentilitia ſacerdotum profeſſio, a Græco δένδρον & φέρειν dicta, quod in honorem alicujus Dei, veluti Bacchi aut Silvani, arbores ſtirpitus exciſas humeris ferebant per Urbem, de quibus proſtant inſcriptiones apud GRVTER. *p. 64. n. 7. pag. 175. n. 6. 8.* REINESS. *Claſſ. V. n. 12.* Add. ARTEMID. *II. c. 42.* ATHEN. *Deipnos. II. 27.* & hunc ſuperſtitioſum cultum proſcribunt HONORIVS & THEODOSIVS Impp. *l. 5. C. d. pagan. l. 20. C. Th. eod.* Alterum dendrophororum genus perhibetur illorum, qui nemora publice cædebant, & carbones torrebant, ad uſum balnearum, navium, ædium, de quibus citatus *t. t. C. Th. d. Centon. & Dendrophor.* & apud GRVTERVM *p. 409. n. 8. p. 469. n. 4.* Nec tamen omnes, qui in iſtis corporibus detinebantur, ad lignariam hanc functionem erant adſtricti, ſed ex omnibus, ſexaginta, probatis cujusque facultatibus, communi corporatorum delectu legebantur, inque deficientium locum noui ſurrogabantur. Et, ſi ad thermas urbanas legerentur, judicio præf. Urbis confirmabantur. *l. 13. C. Th. d. navicul.* ibid. GOTHOFR. Refertur porro ad familiam thermenſem; FAMILIA AQVARIORVM ſeu aquarum cuſtodum, quas Gr. ὑδροφύλακας nominant, qui publicis ad balnea aquæductibus operam dabant. *l. 10. C. d. aquæd. l. 3. C. Th. eod.* Erat autem, teſte FRONTINO, aquariorum familia duplex; *altera publica; altera Cæſaris; Publica antiquior, quam Agrippa cum thermis ſuis Auguſto reliquit, & hic deinde publicavit; Cæſaris,*

*quam*

*quam Claudius, cum aquam in Urbem induceret, conſtituit. Utraque familia in aliquot miniſteriorum ſpecies deducitur, villicos, caſtellarios, ſilicarios, tectores aliosque opifices, qui circa caſtellorum ac munerum ſtationes, tegendo opere, repurgandis caſtellis, evehenda arena &c. occupabantur. De aquæd. L. II.*

§. IX.

Inter ipſos ſervos, qui in balneis ad lavationes erant poſiti, præcipuus legitur BALNEATOR *l. 13. §. 1. ff. d. inſtruct.* cum, ut ait MARCIANVS JCtus, *balneæ ſine balneatoribus uſum ſuum præbere non poſſint. l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct.* Gr. dicitur βαλανεὺς. Vid. THEOPHRAST. *not. mor. XI. in f.* eratque veluti inſtitor officinæ balneariæ, qui penſiones recipiebat, & rationes domino de lavationibus & lavationis reditu reddebat *l. 30. §. 1. ff. loc.* Eundemque & lavantibus aquam affundere ſolitum fuiſſe auctor eſt SVIDAS; inquiens: Καὶ βαλανεύτης ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς καλούμενος περιχύτης. *Balneator vocatur a multis circumfuſor.* Hodie detracta illa ſervili veterum conditione, balneum qui curat, populari nomine germanice appellatur; *der Bader* it. *der Bade-Meiſter.* HENISCH. *Theſaur. Lingu. German. voc. Bad.* qui magiſter tribus, familiæ balneariæ præeſt, & per illam opificium ſuum exercet; Debet autem hic generaliter providere, ut omnia decenter fiant, & maxime circa miniſtros ſuos debet eſſe ſollicitus, ne alat in miniſterio ſuo homines otioſos ac non integræ famæ, *arg. l. 4. §. 2. ff. d. his qui not. infam.* ſicuti eſt *in der Gräfl. Schwarzb. Bader-Ordn. in den Amt Gehren art. 10. in fin. auch ſoll ſonſt kein unredlich Geſinde, ſo an ſeinen Ehren beflecket, angenommen oder ge-*

*för-*

*fördert werden;* it. *in der Fürſtl. Sächſi. Weym. Bader-Ordn. art. 19. Soll kein Meiſter kein unehrlich Geſinde, ſo an Ehren beflecket ſeyn, länger nicht als 14. Tage födern, ſondern da ſolches befunden wird, er deswegen geſtraft werden.*

§. X.

Deinde occurrit FORNACATOR *l.14.ff.d.inſtruct.* quem male ACCVRSIVS ad h.l.dicit fornicatorem, quaſi qui duceret meretrices, vel ipſe meretricatus fuerit, & male proinde diſtinguit a fornicario, uti nominatur in *l. 27. §. 9. ff. ad leg. aquil.* BVDAEVS *in not. ad Pand. ad h. l.* Gr. appellat. φουρναρίον. HARMENOP. *L. III. t. 8. rubr.* περὶ ἐμπρισμοῦ *ſ. de incendio*, ubi dictum caſum *l. 72.* refert. Erat autem fornacator, qui fornacem balnei caminumque ſuccendebat. Denique legitur CAPSARIVS, qui mercede ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipit, teſte PAVLO *in l. 3. §. fin. ff. de offic. præf. vig.* propter frequentiam ſcilicet furtorum, quæ in balneis fiebant, inſtitutus. CVIAC. *V. Obſ. 8.* Hodienum etiam tale officium in balneis frequentari, declarat *die Bader-Ordnung zu Breslau* dat. *anno 1582. 20. Decembr.* ubi ſimul officium cuſtodis & quatenus de damno reparando teneatur, eleganter deciditur, uti ex Manuſcriptis, quæ in cauſis Opificiariis locupletiſſima habet, Magnif. Dn. BEIER. Profeſſ. Publ. Patronus meus plur. colendus, huc tranſcribere conceſſit, his verbis; *Wir Rhatmann der Stadt Breslau, bekennen und thun hiemit öffentlich und vor jedermänniglich; Demnach uns viele Klagen und Beſchwehr wegen der Kleider, ſo in der gemeinen Bad-Stuben, verwechſelt, was davon entwendet, oder gar verlohren worden, eingebracht ſeyn, dadurch der Hüter Unfleiſs und Nachläſſigkeit beſchul-*

*beſchuldiget wird. Hierauf haben wir uns nebſt den Stadt-Schöpffen zu Verhütung folgenden Schadens dahin beſchloſſen; Wenn jemand in die Badſtuben kommt, und dem Hüter oder Aufſeher in dem Mannes oder Weibs-Perſonen Gemach die Kleider neben Erlegung der Gebühr überantwortet, oder dieſelben, wohin ſie die Kleider gelegt haben, angewieſen worden; daſs die Hüter fleiſig zu achtung geben, auch der Perſonen Aus- und Eingehen wohl wahrnehmen ſollen. Denn wo nachmahls was von Kleidung, oder andern, das die Perſonen mitgebracht, oder eingelegt haben, verwechſelt, zum theil entwendet, oder gar verlohren worden; als ſollen die Hüter oder Aufſeher, weil ſie ihre Gebühr darumb genommen haben, davor zu antworten, und ſich mit ihnen abzufinden und zu vergleichen, ſchuldig und pflichtig ſeyn. Denen Perſonen aber, ſo ins gemeine Bad gehen, und ihre Kleider unangeſagt und ohne Erlegung der Gebühr in und auſſerhalb der darzu geordneten Gemächer wohin legen oder ſtellen werden, und davon etwas genommen oder verlohren wird, davon ſollen die Hüter oder Aufſeher, die ſo viel möglich iſt, gute Aufachtung halten ſollen, zu antworten nicht verbunden ſeyn.*

§. XI.

Fœminæ honeſtæ ancillarum opera utebantur in balneis; de quo miniſterio extat vetus inſcriptio

ATHENAIS AVGVSTAE. S. VNCT.

De iisdem etiam interpretantur *l. 4. §. 2. ff. d. his qu. not. infam.* ubi lex infamia notari jubet eum, qui conducta in balneis mancipia quæſtum corpore facientia habuerit; KLOCK. *d. ærar. II. c. 12. n. 5.* ALEXANDRVM SEVERVM Imp. hoc miniſterium eunuchis dediſſe, au-

ctor eſt LAMPRID. c. 23. *Eunuchos*, inquiens, *de miniſterio ſuo abjecit, & uxori, ut ſervos, ſervire juſſit. Et cum Heliogabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit, nec quicquam in Palatio curare voluit, niſi balneas fœminarum.*

§. XII.

Habetur inſtructus balnei publici ex fictione juris pro re immobili, atque jus, conditionem ac poſſeſſorem balnei ſequitur. *arg. l. 12. pr. ff. d. inſtruct.* In balneo privato tamdiu pro re immobili reputatur, quamdiu contraria patrisfam. deſtinatio non extat, unde in dubio ut acceſſorium habetur, donec probetur contrarium. *arg. l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct.* Atque olim quidem ex arctiſſimo ſervitutis jure familia quoque balneorum, ſervi ac miniſtri, conditionem ac poſſeſſionem balnei ſequebantur *arg. d. l. 12. l. 7. l. 21. C. d. cenſit. agric.* verum hodie cum, ſublato iſto rigore, operas liberorum hominum ad balnea curanda conducere ſoleamus, illi ædibus balneariis tam arcte non accedunt, ut pro parte ſimul ac re immobili reputentur, ſed mutato poſſeſſore, liberum habent, an velint de novo operas ſuas elocare, an non. Cæterum ſi controverſia oriatur, quid & quod ad inſtructum balnei pertineat, prius inſpicienda eſt lex contractus ſuper balneo celebrata, dein uſus ac conſuetudo patrisfam. balneatoris; demum mos regionis, ubi balneum extructum.

CAP. IV.

# CAP. IV.

## DE
## VSV, FRVCTIBVS, ET ONERIBVS BALNEI.

### *SVMMARIA.*

*Uſus balnei eſt lavatio; §. 1. eſt individuus. ib. Lavare non eſt neceſſe niſi certis caſibus. §. 2. Cauſa lavationis ſunt quatuor; & quænam admittendæ. §. 3. Uſus balnei privati ſpectat ad dominum ac familiam. §. 4. Extraneus quando lavet in balneo privato. §. 5. an dominus teneatur eidem infecti nomine cavere. ib. An milites balneum privatum exigere olim a poſſeſſoribus ædium potuerint, & explicatur L. un. C. ne rei mil. Com. vel. Trib. lav. præſt. §. 6. Balneum publicum omnis adit, qui non prohibetur. §. 7. an excommunicatus. ib. pœnitentes. §. 8. arceantur Judæi & leproſi. §. 9. relligioſis balneum non eſt interdictum §. 10. Lavacra olim apud Romanos erant promiſcua §. 11. ab iis abſtinebant cognati. §. 12. Mixta lavacra olim in uſu fuerunt. §. 13. Sunt interdicta poſtea & hodie. ib. quæ dentur ad vindicandum balnei uſum actiones. §. 14. Tempus lavandi eſt arbitrarium. §. 15. an die feſto lavari ſit permiſſum. §. 16. Signum olim ad balneum dabatur; & quid hodie §. 17. Reditus balnei ad quem pertineant. §. 18. Onera balneis recte imponuntur. §. 19. quis ferat. ib. quotuplicia ſint. ib. das Aufleg-Geld quid; ib. die Geſchencke. ib.*

### §. I.

Balnea exſtructa inſtructaque probantur ex uſu. Cenſetur autem balnei uſus individuus, & cuilibet competit in ſolidum, uti ex judicio Celſi decidit VLPIANVS *l. 5. §. ult. ff. commod. Uſum balnei vel*

 por-

*porticus vel campi uniuscujusque in ſolidum eſſe, neque enim minus me uti quod & alius uteretur.* Uſus vero balnei proprius conſiſtit in lavatione, ad eluendas corporis ſordes *l. 25. §. 10. ff. d. aur. & arg. leg. l. 30. §. 1. ff. loc. verb. lavationem non præſtitiſſet.* & lavandi facultate: eleganter PLVTARCH. *de tuend. ſan. p. m.* 42. ὔτε γὰρ βαλανείȣ ὔτε λόγȣ μὴ καθαίροντος ὄφελος ἐςὶ. *Neque enim balnei neque orationis non purgantis ullus eſt uſus.* Add. *cap. 11. 15. Diſt. III. d. pœnit.* de qua hic prius diſpiciendum.

§. II.

Lavare proinde in ſuo, aut non lavare, eſt naturalis libertatis, ad quod lege civili nemo cogitur *l. 8. §. 6. ff. ſi ſerv. vind.* Poſt illuſiones tamen nocturnas, lavationem corporis fieri debere, canones ex B. GREGORIO ad AVGVSTINVM *reſp. 11.* præcipiunt. *Diſt. VI. cap. I.* quod inſtitutum ex lege ceremoniali veteris Eccleſiæ Judaicæ deſcendit. *Levit. 15. v. 16.* nec hodie obtinet; ſicuti & ipſe GREGORIVS in *d. l.* non præcipit lavationem, ſed potius myſticum illius ſenſum atque uſum in chriſtiana pædagogia docet. Deinde tradit GREGORIVS *cap 7. C. 33. qu. 4.* Quod *Romanorum ſemper ab antiquioribus uſus fuerit, poſt admiſtionem propriæ conjugis, ſeu concubitum conjugalem, lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum reverenter abſtinere. Non quidem quaſi conjugium in culpa ſit, ſed quia ipſa licita conjugum admiſtio ſine voluptate carnis culpoſa fieri non poteſt, atque hinc, donec ſe aqua purgaverint, a ſacro communionis myſterio & ingreſſu Eccleſiæ abſtinendum.*

§. III.

§. III.

Cauſas Lavationis quatuor refert CLEMENS ALEXANDRINVS, ſc. munditiem, calorem, ſanitatem, voluptatem. *L. III. Pædagog. cap. 9. pr.* Ex quibus prima maxime genuina eſt, atque ad naturam inſtituta. Altera, quæ eſt caloris, conjungenda cum tertia cauſa ſc. ſanitatis, in calore enim ſanitas corporis maxime eſt poſita. Eſt autem antiqua res ſanitatem per balnea quærere; quæ licet Homericis temporibus non erat cognita, nec HIPPOCRATI adeo in uſu: SEN. *ep. 95. antiqui medici neſciebant dare cibum ſæpius, & vino fulcire venas cadentes, neſciebant ſanguinem emittere, & diutinam ægrotationem balneo ſudoribusque laxare.* PLIN. *hiſt. Nat. L. 31. c. 6. Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe demiror, cum alioquin lavari calida frequenter induceret. Videlicet, quia tunc medicina non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio utitur.* Attamen poſt ea tempora plurimum crevit. Et maxime inter partes medicinæ recipi cœpit ætate ac inſtituto Aſclepiadis medici; teſte PLINIO *hiſt. Nat. Lib. 26. c. 3.* Poſt hunc multiplicia ſunt veterum medicorum inſtituta, quæ ex Galeno, Celſo, Scribonio Largo &c. licet cognoſcere. Credebantur vero antiquitus balnea maxime in morbis ſcorbuticis, ſpaſmaticis, nervinis prodeſſe, utpote quæ acrimoniam ſanguinis demant, eundemque fluxiorem efficiant. ARISTOT. *Sect. III. Problem. qu. 16.* CELSVS *de re med. III. 17.* PLIN. *VII. ep. 21.* PLIN. *Hiſt. Nat. L. 31. c. 6.* Add. STVCK. *Antiquit. conviv. II. c. 25.* Sicuti vero Aſclepiades balneorum uſum primus in medicinam induxerat; ita, qui huic poſtea ſucceſſit Charmis Maſſilien-

lienſis, priores Medicos ac balnea penitus damnavit, frigidaque aqua hibernis etiam algoribus lavari perſuaſit, merſitque ægros in lacus, PLIN. *hiſt. nat. cap. I. Lib. 29.* De uſu balneorum ad ſanitatem hodierno, videndi ſunt Ephemer. German. *anno VI. Obſ. 238. 239.* Ultima balneorum cauſa eſt voluptas; per corruptos genii humani mores inducta. SVIDAS ἐςὶ τὸ βαλανεῖον ὁδὸς ἐπὶ τρυφήν. *Balneum via eſt ad delicias.* Add. ATHENAEVS *Deipn. I. 15.* Eleganter SENECA *de vit. beat. c. 7 virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem, latitantem ſæpius ac tenebras captantem circa balnea & ſudatoria, ac loca ædilem metuentia mollem, enervem, mero atque unguento madentem.* Cæterum ſicuti iſte balneorum uſus honeſtus & temperatus improbandus non eſt, ita e contrario abuſus rejiciendus ac noxius. Eleganter SEN. ep. 108. *inde in omnem vitam unguento abſtinemus, quoniam optimus odor in corpore eſt nullus; inde vino caret ſtomachus, inde in omnem vitam balneum fugimus. Decoquere corpus atque exinanire ſudoribus, inutile ſimul delicatumque credimus.* Add. ATHEN. *Deipn. I. 15.* IVVEN. *Sat. I. verſ. 143. & ſat. 3. verſ. 132. & ſeqq.* PLIN. *hiſt. nat. L. 29. c. 1. circ. fin.* PLVTARCH. *d. tuend. ſan. p. 126.* Ex diverſis igitur iſtis finibus cauſisque eæ probantur, quando ob munditiem, vel ob valetudinem lavamur; Pro luxuria vero ac voluptate chriſtianos lavare non decet, uti præcipit GREGOR. *II. ep. 3.* qui citatur in *cap. 12. Diſt. III. d. Conſecr.* pertinentque omnino ad pii magiſtratus officium diligenter providere, ne quid luxurioſi atque ex voluptate illicita in balneis fiat, uti

pul-

pulchre monet GREGOR. THOLOS. *Publica* inquiens, *cura ac ſollicitudine utendum eſt erga balnea, ne quod ad ſalutem corporum introductum eſt, ad voluptatis atque impudicitiæ occaſionem convertatur, & quod pro conſervatione ac ſalubri remedio inventum, ad interitum animarum & corruptionem proborum morum perveniat. de rep. II. c. 9. n. 5.*

§. IV.

Uſus ac commoditas lavandi in balneo privato, ex jure ac natura dominii ſpectat ad dominum ſeu bonæ fidei poſſeſſorem, qui inſtar domini eſt. *arg. l. 13. §. 8. ff. d. uſufr. verb. uſibus dominicis vacare ſolitum:* qui extraneum ab ingreſſu privati balnei licito jure arcere poteſt. Continetur autem ſub nomine domini non ſolum paterfamilias, qui imperium in domo exercet, ſed etiam materfamilias, ſeu uxor, quæ recte uſum balnei domeſtici communem prætendere poteſt. *arg. l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3. verb. in uſu patrisfamilias vel uxoris nonnunqam fuerunt.* Minus principaliter facultas lavandi in privato domus balneo conceditur familiæ patrisfam. ſc. liberis, ſervis &c. quia hi in communem ſocietatem recepti, etiam ad communem rerum communicabilium uſum vocati præſumuntur. *arg. l. 12. §. 7. & 10. ff. d. inſtruct. l. 19.* §. 2. *ff. d. V. S. l. fin. C. d. V. S.* Cum vero hæ perſonæ ex præſumta ſaltem voluntate domini ac patrisfam. lavent, ideo vi imperii, poteſtatis, ac diſciplinæ domeſticæ, patri ac domino jus prohibendi competit. *arg. t. t. ff. d. precar.*

§. V.

Extraneus ſi velit in balneo privato lavare, opus habet conceſſione domini expreſſa vel tacita, quam vel actibus inter vivos, vel ultima voluntate dari poſſe, de-

clarat

clarat *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3. l. 1. §. 43. 44. ff. d. aqu. quot. & æſtiv.* Movet autem circa hunc caſum ſpecialem quæſtionem VLPIANVS; an ſi ædes balnei fuerint ruinoſæ, dominus ingredienti hoſpiti teneatur cavere de damno infecto? Negat hoc recte JCtus *l. 13. §. 4. ff. de damn. inf.* ex ea ratione, ut vult GOTHOFR. *in not.* quod balnei uſus ſit tranſitorius; Accedit & id, quod in hoſpitis arbitrio fuit, ingredi balnea nec ne, nec præterea humanitas domino debet eſſe oneroſa.

§. VI.

Balneum privatum a curiis & civitatibus vel etiam poſſeſſoribus ædium exigere, ſpeciali interdicto prohibentur milites, Tribuni, Duces ac Comites inferioris ordinis *l. un. C. ne rei milit. Comit. vel trib. lav. præſt. l. 6. C. d. metat.* Sunt hæ duæ invicem Conſtitutiones optime conjungendæ; Prior eſt Arcadii Imp. anno 406. Arcadio A. VI. & Probo Coſſ. publicata, & continet in ſe fragmenta duarum Conſtitutionum, quæ extant in Codice Theodoſiano ſub eodem titulo, *ne rei milit. comit. vel trib. lav. præſt.* ex quibus altera eſt ipſa hæc noſtra, quam Tribonianus in Codicem Juſtinianeum verbotenus fere tranſtulit; quæ vero de adæratione in noſtra ſanctione adjecta ſunt, ex altera Cod. Theod. conſtitutione ſunt excerpta, quæ eſt Honorii & Theodoſii, Honorio A. XI. & Conſtantino II. Coſſ. (417) promulgata. Poſterior conſtitutio *l. 6. C. d. met. & epidem.* eſt Honorii & Theodoſii, Ravennæ Conſtantino & Conſtante Coſſ. 414. edita; & integra extat in *l. 12. C. Th. d. metat.* Meminit quidem anterioris Conſtitutionis *l. 1. C. Th. d. t.* verb. *vel ex priſtina ſeveritate decreti, vel ex hoc*

*ſacro*

*ſacro praecepto quod ſub eâdem pœna refertur ;* cujus tamen veſtigium in neutro Codice extat; videtur autem prima illius cauſa incidiſſe in Alexandri Severi ætatem, quippe qui primus publicam Heliogabali corruptelam ſevera militum diſciplina correxit, & muliebrem antea balneorum libidinem a militibus excuſſit, teſte LAMPRID. *in vit. ejusd. cap. 53.* SPART. *in Peſcenn. in c. 3.* GALLICAN. *in Caſſ. c. 5.* Facitque eodem, quod VLPIANVS aſſerit, Severum maximum Provinciarum patronum extitiſſe, ne ultra modum hoſpitiis militum gravarentur. *l. 4. pr. ff. d. offic. proconſ.* Secutum dein eſt publicum Gratiani, Valentiniani & Theodoſii reſcriptum, quo lavationes militum in aquis frigidis ita reſtringuntur, ne in ſuperiori fluminis parte lavent *l. 12. C. d. re milit. l. 13. C. Th. eod.* Ex his igitur Impp. vel Severum ipſum, vel aliquem ex ejus ſucceſſoribus, auctorem allegatæ iſtius Conſtitutionis fuiſſe arbitramur. Et maxima, poſt Severum, in Conſtantinum Imp. cadit conjectura, quippe cujus Conſtitutio in *l. un. C. de Salgam. hoſpit. non præſt.* ad eundem fere modum, addita & eadem ratione, *ne provinciales nimis prægravarentur*, eſt perſcripta, & præterea lignum ac oleum exigi militari nomine a provincialibus vetat. Prohibentur iisdem Conſtitutionibus milites minoris ordinis exigere balneum privatum a Curiis, Civitatibus ac ædium poſſeſſoribus. Sunt autem hic Curiæ ipſa *βουλευτήρια*, ſeu Senatus Decurionum Civitatum *l. 239. §. 5. ff. d. V. S. Conſtit. Leon. 45. & 46. Nov. 83. pr.* PANCIROLL. *d. magiſtr. Municip. cap. 1.* qui certum militum provincialium numerum pro rep. alere, atque hoſpitia eisdem præſtare debebant. Hi ipſi igitur Decurionum

M confeſ-

conſeſſus, præter reliqua munia civitatis, in ſpecie etiam habebant curam annonarum publicarum & præbitionis, quæ in militiam erogabantur. *l. 8. C. Th. de decur. l. 12. l. 16. C. Th. d. exact.* & inde quoque balnea militaria curabant. *l. un. C. Th. d. mancip. therm. l. 131. C. Th. d. decur.* Continetur autem hic ſub nomine balnei, non ſolum ædificium, ſed etiam omnis inſtructus atque apparatus balneatorius; unde in libris Βασιλικῶν *l. 8. d. metat.* additur, ne etiam provinciales cogantur militibus *σάβανα* præbere, quæ CVIACIVS *ad tit. C. ne rei milit. Com. vel trib. lav. praeſt.* interpretatur, quod fuerint lintea, quibus loti ſe abſtergerent; quem in ſenſum etiam explicat MEVRSIVS *gloſſar. Græc. barb. ex Hierocle N.* ἱππιατρ. *cap. 34.* εἰσαγάγοντες εἰς βαλανεῖον καὶ ποιήσαντες ἱδρῶσαι κατὰ μάσσουσιν ἔνδον, ζηροῖς σαβάνοις. *Inducentes in balneum, & poſtquam ſudorem feciſſent, comedebant in linteis calidis.* Ita porro lignum ad balnea aut oleum a provincialibus militum nomine efflagitari ſevere prohibuit CONSTANTINVS Imp. *l. un. C. de ſalgam. milit. non præſt.* Quod & poſtea Valentiniani II. & Theodoſii reſcripto fuit confirmatum *l. 3. C. Th. d. ſalgam.* Ab Honorio tamen eatenus fuit permiſſum, ſi illud fiat ex ſpontanea & libera hoſpitum voluntate. *l. 1. C. Th. d. ſalgam.* Vid. Illuſtris Dni. Præſ. diſputat. de Salgamo. Porro *adærationem* quoque eo nomine a provincialibus profligari Impp. prohibent; Eſt autem *adæratio* nihil aliud, quam pretium ſeu æſtimatio balnei, uti explicat *l. 2. C. Th. h. t. ne rei milit. Comit. vel Trib. lav. præſt.* Ratio porro ſanctionis noſtræ generalis fuit, ne provinciales hoſpitiis ac vexationibus militum nimium prægravarentur; omniſque proinde

inde inquietudo a Curiis & civitatibus amoveretur. *l. ult. C. d. metat. rubr. C. ne damn. provincial. inflig. d. l. un. verb. inquietudo. l. 3. C. d. erogat. milit. ann.* Comitibus videlicet ac Magiſtris majoris ordinis a Curiis civitatum lavacra gratuito præbebantur, quod cum etiam rei militaris Comites ac Tribuni minoris ordinis poſcerent, id illis ab Arcadio & Honorio eſt negatum, ne tot ſumtibus civitates onerarentur. PANCIROLL. *de magiſtrat. municip. cap. 14. circ. fin.* Specialis vero ratio eſt in *l. 6. C. d. met. & epidem.* ibi; *hoc proſpectum eſt, ut infauſta hoſpitalitatis præbitio tolleretur;* ubi interpret. diſceptant, quid ſub *infauſta præbitione* intelligatur? Nos cum GOTHOFREDO *ad l. 12. C. Th. d. metat.* facimus, qui illud de illicitis militum provincialium exactionibus atque extorſionibus, & triſtibus inde ſecutis caſibus dominorum & hoſpitum interpretatur, id quod ex collatione *l. 10. C. Th. eod.* declaratur; Nec deſunt talia loca, quibus in eundem ſignificatum vox *infauſti* explicatur, pro eventu ſc. caſus funeſto ac triſti, uti *l. 8. §. 1. C. d. repud.* ubi ſine juſta cauſa matrimonium ſolvi prohibetur, ſin tamen alterutra pars adverſa neceſſitate prematur, conceditur alteri conjugum, permiſſo divortio, *quamvis infauſto*, attamen neceſſario auxilio ſe liberare. Ita & *l. 17. C. Th. d. deſertor.* dicitur *infauſtum Tribunorum officium per Africam*, dum ſc. deſertores militari vindicta perſequuntur. Prohibentur vero milites non indiſtincte, ſed ſaltem minorum ordinum: & quidem nominatim (1) TRIBVNI. Erant vero Tribuni, alii *Civiles*, quorum officium poſt exactos Reges ampliſſima poteſtate inter plebejos magiſtratus fuit conſtitutum, ut eſſent, qui jura plebis adverſus Optimates

defenderent, inde Tribuni plebis dicti. *l.* 2. *§.* 19. *ff. d. O. J.* ISIDOR. *L. VIII. Orig. c.* 4. *n.* 20. Alii *militares*, dicti Tribuni militum, qui rem militarem curabant, & primum a Coſſ. in ſingulas legiones creabantur. POLYB. *VI. c.* 17. poſt Comitiis tributis, populi legebantur ſuffragio. LIV. *L. VII. c.* 5. deinde bello Macedonico Coſſ. ac Prætorum arbitrio relicta eorum electio. LIV. *L.* 42. *c.* 31. demum a Senatu ita decretum, ut in octo legiones parem numerum tribunorum Coſſ. & populus crearent. Deſiit hæc plebejæ Tribunitiæ poteſtas tempore Impp. cum quorum majeſtate penitus eſt confuſa, etenim ad odium & nomen regiæ dominationis evitandum, & captandam popularem gratiam, Tribunitiæ poteſtatis titulo Impp. erant contenti, & ſub plebejo hoc vocabulo jura majeſtatica in Senatum & populum exercebant; teſte TAC. *I. Ann. c.* 2. *§.* 2. Militarium tamen tribunorum nomen atque officium usque in Imperatores remanſit, ſub quibus duplices potiſſimum gradus ſeu ordines poteſtatis tribunitiæ militaris leguntur; Major ſc. & minor ordo, uti auctor eſt VEGET. de re milit. *L. II. c.* 7. Majoris inde ordinis tribuni erant illi, qui ſub Magiſteria vel Præfectoria auctoritate prætorianis legionibus præerant, & Ptætoriani dicuntur *l.* 12. *C. d. erogat. milit. ann. l. ult. C. d. numer. l.* 4. *C. de appar. magiſtr. mil. l.* 3. *C. Th. d. primicer. & Notar.* it. illuſtres *l.* 8. *C. d. erogat. milit. ann.* & a veſtimento ſenatorio, quo ornabantur, laticlavii. *l.* 4. *C. de teſtam. milit.* Creabantur, uti VEGETIVS loc. cit. teſtatur, extra ordinem, interpoſita a principe epiſtola, quod etiam confirmat *l.* 2. *§.* 1. *C. d. advoc. diverſ. jud.* Minoris ordinis Tribuni erant, qui extra prætorianas cohortes certo militum

litum numero imperabant, & proximum locum a Centurionibus tenebant; ſicuti hunc militiæ gradum docet LAMPRID. *in Alex. Sev. c. 50. Quocunque*, inquit, *iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant*, & inde centurionibus junguntur *l. 13. §. 4. ff. d. re milit. l. 9. C. de inoffic. teſtam.* Referebantur autem hi tribunatus minoris ordinis, in minori laterculo ſeu matricula dignitatum inferiorum *l. 1. C. de offic. quæſt.* eosque *labore proveniſſe* VEGETIVS ſcribit *l. c.* h. e. ut ego capio, ſecundum ordinem, qui in iſta matricula fuit deſcriptus, & ſecundum definitos dignitatum gradus, ita, ut quo quisque plures militiæ annos pluresque labores exegerit, ſemper ab uno dignitatum gradu, ad alterum pro ordine militiæ promoveretur. Conf. *l. 14. C. d. re milit. l. 1. C. d. offic. magiſtr. mil.* Erat nimirum laterculum, codex ſeu matricula, ubi omnes dignitates civiles ac militares ordine erant deſcriptæ. *l. 3. C. d. agent. in reb. l. 5. C. qui milit. poſſ. l. ult. C. d. offic.* Idque duplex, *majus*, in quo majoris ordinis dignitates erant relatæ; quod apud Primicerium Notariorum aſſervabatur, *l. 1. C. d. offic. præf. præt. Afric.* & *minus*, quod Quæſtor curabat, in quo nomina inſerebat, munia ſubnotabat, & candidatorum ordines memoriæ principis ſuggerebat. *Conf. l. ult. C. d. diverſ. offic.* Quoties ergo munus quoddam, maxime minoris laterculi, vacaret, toties ſecundum prærogativam munerum & exacti laboris, dabatur id proximo muneris candidato. Officium autem Tribunorum *Tribunatus numerorum* vocabatur *l. 18. C. d. teſtam. milit.* eo, quod illi certo numero deſcriptas legiones *l. 16. C. d. metat.* regerent. *l. 1. C. d. offic.*

 magiſtr.

*magiſtr. milit. l. 3. C. d. agent. in reb. l. 18. C. Th. d. tyron. l. 13. C. Th. d. veteran.* quos numeros tradit *l. 42. ff. d. teſtam. milit.* VEGET. *de re milit. cap. 6.* Munia Tribunorum militarium definit MACER JCtus *l. 12. §. 2. ff. d. rei milit.* inquiens; *Officium Tribunorum eſt, vel eorum, qui exercitui præſunt, milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claves portarum ſuſcipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum probare, menſorum fraudem coercere, delicta ſecundum ſuæ auctoritatis modum caſtigare, principiis frequenter intereſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere.* Add. *l. 20. §. 9. ff. de offic. Præf. Prætor. Afric. l. 17. C. Th. d. deſert.* LIPS. *de milit. Rom. L. I. dial. 2. L. II. dial. 8. 9.* Ex hoc igitur, quod & erogationes ac frumentationes militares inſpicerent, eveniſſe potuit, ut ultra præſcriptum modum, ad exemplum Comitum illuſtrium, & erogationes balneares a provincialium Curiis ac Civitatibus extorquerent, vel ad delicta militum, talia ab inhoſpitatoribus exigentium, conniverent, unde poſtea ſanctio iſta prohibitiva emanavit. Add. *l. 11. C. d. re milit. l. 13.* §. 2. *C. eod.* (2) recenſentur DVCES MILITVM. Dux a ducendo dictus, quod ſit militum ductor. ISIDOR. *Orig. IX. c. 3. n. 20.* Antiqua appellatione deſignavit illum, qui militibus ducendis, etiam exercitui præeſſet. *l. 3. ff. d. pact. l. 7. C. d. repud.* Conf. *l. 2. §. 1. ff. d. his qu. not. infam.* Poſtea Impp. ætate denotavit certum militiæ præfectum, qui cum quodam imperio militari erat. *l. 9. C. Th. d. cohortal. l. 20. C. d. curſ. publ. l. 11. C. d. erogat. milit. ann.* Erant autem Duces duplicis ordinis, *Majores*, qui illuſtres, Supraillustres. *Minores*, qui ſpectabiles dicuntur, diſerte *l. 38.*

C.

*C. d. appellat.* Conf. *l. un. C. d. comit. & archiatr. l. 3. C. d. offic. iud. militar.* de quibus hic ſermo. Erant proinde hi, ſecundum Notitiam Imperii, in minori dignitatum laterculo, & proximum ante tribunos inferioris militiæ tenebant gradum; ſicuti ordinem hunc intelligimus ex epiſtola Commodi Imp. apud SPART. *in Peſcenn. c. 4. Peſcennium fortem virum novi, & ei Tribunatus jam duos dedi: ducatum mox dabo.* eademque honoris prærogativa ex Severi inſtituto externis inſignibus comparuit. LAMPRID. *in vit. ejusd. c. 52. in f.* ait: *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt; tribunis aut ducibus niſi milites anteire voluit, juſſitque ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante ducem, ſex.* Et hinc a Tribunatu ad ducatum aſcenſus legitur *l. 2. C. d. domeſt. & protect. l. 29. C. Th. d. erogat. milit ann.* His dein ducibus proxime eminebant Comites minoris ordinis, unde comites cum ducibus frequenter junguntur *l. 9. C. Th. d. re milit. l. 11. l. 18. d. evict. l. ult. C. Th. d. veter. l. 6. C. d. adſeſſor.* A muniis porro ſuis varie diſtinguuntur hi duces. Etenim alii limitibus; alii interiori provinciæ, militarem operam præſtabant. Unde Duces (I) *limitanei*, qui limites provinciæ aut alicujus dioeceſeos militum ac Tribunorum ſuorum præſidio tuebantur. *l. un. C. d. litt. ac itin. cuſt.* Et hi Magiſtris militum ac Præfectis Prætorio per ſingulas dioeceſes parebant. *l. 4. C. d. offic. jud. mil. l. 5. C. Th. d. fil. apparit.* uti ſpeciatim leguntur duces limitis Scythici, qui provincias Scythis confines defendebant. *l. un. C. Th. d. luſor. Danub.* & noſtro titulo *C. Th. l. 2. ne Comit. & Trib. lavacr. præſt.* memoratur Dux LIMITIS EVPHRATENSIS, Erat hæc provincia Syriæ, utpote quæ in

Auguſtam

Auguſtam Euphratenſem & Syriam ſecundam in Notitia diſtinguitur. *l. 10. C. d. ædif. priv. l. ult. C. d. diverſ. offic.* Metropolitana hujus Euphratenſis civitas erat Hierapolis *l. un C. d. venat. fer. l. 2. C. Th. eod.* Dicta olim Provincia Comagena. AMM. MARCELL. *L. XIV. p. 22. & L. XXIII. p. 270.* GOTHOFR. *ad d. l. 2. C. Th.* PANCIROLL. *in Notit. Orient. c. 114.* (II) *Duces Caſtrorum;* qui caſtrorum luſtrationibus, refectionibus ac reliquo inſtructui præerant. *l. 8. C. d. diverſ. offic.* dicti etiam caſtrorum præpoſiti *l. 7. C. ub. cauſ. fiſc. l. 113. C. Th. d. decur. l. 1. d. diverſ. offic.* (III) *Duces Provinciarum,* qui regendæ certæ dioeceſeos militiæ operam adhibebant, qui omnium frequentiſſime leguntur in Notitia ac legibus utriusque Codicis: e. g. Dux Palæſtinæ *l. 13. C. d. erog. milit. ann.* Dux Lesbiæ *l. 6. C. d. numer.* &c. PANCIR. *Not. Imp. p. 144. 145.* Add. *l. 2. C. d. ſportul. l. ult. C. d. div. offic.* quandoque & Præſidis munere iidem fungebantur, uti demonſtrat *l. 32. §. 1. C. d. appellat. l. 1. C. ad. leg. Jul. repetund. l. 133. C. Th. d. decur.* de quibus omnibus Ducum generibus Conſtitutionem noſtram accipiendam exiſtimo. (3) Generatim MILITARES COMITES alii *d. l. un C. d. t.* atque his verbis Impp. omnes reliquæ militiæ inferioris gradus, ordines ac Comitivas complectuntur. Notat autem Comes proprie illum, qui eſt in comitatu alterius. *l. 15. §. 16 ff. d. injur.* In ſenſu autem civili ſignificabat olim illos, qui cum altero v. g. præſide ut coadjutores officii, Senatus auctoritate, ad magiſtratum delegebantur, ac ſimul diſcedebant in provincias, uti declarat *l. 16. ff. d. off. præſ. l. 4. ff. d. offic. adſeſſ. l. 12. §. 1. ff. d. vacat. mun.* Alii per Impp. lecti ex viris vel Conſularibus vel equeſtris ordinis, in nume-

rum

rum prætorianorum in aula principis militum, dicebantur hi *Comites principis. l. un. C. d. præpoſ. l. 43. ff. de teſtam. milit. l. 13. §. 3. ff. d. re milit. l. 3. C. ub. Senat. vel clariſſ. l. 13. C. d. re milit. l. ult. C. d. domeſt. & protect.* FABRI *Semeſtr. L. 1. c. 4.* Ab his proinde, qui circa latus Principum munia ſua obibant, frequenter ad res principis curandas, provincias gubernandas, atque regendas militum copias dimittebantur, utpote quorum fides principi eſſet explorata: cum quos corporis cuſtodes fidos habuerit, fideles quoque crederet fore provinciarum vel militum rectores. Ex hoc ergo varii ordinis Comitivæ legebantur, prout quisque illorum comitum ad aliquod officium deſignaretur *l. 1. C. d. advoc. diverſ. jud. l. 6. C. d. princip. agent. in reb.* & generaliter diſtribuebantur, in *Comitivas Palatinas*, ſeu quæ circa latus principis, in ſcriniis, laterculis &c. res principales curabant, v. g. Comes ſacri patrimonii. *t. t. C. d. com. ſacr. patr.* Comes rerum privatarum *l. 3. C. d. bon. vac. l. ult. C. d. pet. bon. ſubl. &c.* Et *extra-Palatinas*, quæ extra aulam principis reip. curas, adminiſtrationesque gerebant. Et inde quoque Comitiva militaris erat illorum, qui militiæ gerendæ præerant, atque ad provinciam aliquam, vel plures, defendendam, milite ab Imp. concredito, deſtinabantur. *l. un. C. d. ſalgam. l. 1. l. 2.* C. *d. Comit. rei milit. l. 49.* C. *Th. d. curſ. publ.* Ita legitur Comes Ægypti *l. 3.* C. *Th. d. patrocin. vicar. l. 52.* C. *Th. d. curſ. publ.* Comes Aſianæ dioeceſeos *l. 1.* C. *Th. fin. regund.* Comes Galatiæ, Phrygiæ, Orientis &c. *Nov. 8. c. 2. & ſeqq.* Add. *Nov. 27. l. 42.* C. *d. decur.* Ex his ergo alii Comites erant cum Comitiva primi ordinis. *l. 1. l. 3. C. Th. d. comit. rei milit.* qui inluſtrium honore fulgebant. *l. un. C. Th. d.*

*Orient. qui illuſtr. agent. l. 13. c. d. re milit.* uti erant magiſter militum *l. 1. c. Th. d. venat. ferar. l. un. c. Th. qui a præbit. tyran.* CASSIODOR. *II. Var. form. ep. 28. L. VI. ep. 12. 13. Lib. III. ep. 53.* & omnes majoris militiæ præfecti. *l. un. c. d. Comit. & Tribun. ſcholar.* & qui in ſacro palatio inſerviebant. *l. un. c. d. Comit. & archiatr. ſacr. palat.* Alii erant ſecundi ordinis *l. 6. c. d. proxim. Comit. l. 1. l. 2. c. Th. d. Comit. rei milit.* in quo erant viri ſpectabiles, Duces & Comites ſpeciatim ſic dicti. *l. 42. c. d. decur. l. 1. c. d. cenſit. l. 14. l. 16.* c. *Th. eod.* it. Tribuni. *l. 8.* c. *Th. de agent. in reb.* qui tamen quandoque extra ordinem cum Comitiva primi ordinis in provincias mittebantur, unde Clariſſimi dicuntur *l. 1.* c. *d. advoc. div. jud. l. 2. §. 17. 18. d. Offic. præf. præt. per Afric.* Alii denique tertii ordinis *l. 2.* c. *d. Caſtrenſ.* in quo erant primates decurionum. *l. 27.* c. *Th. d. decur. l. 9. l. 10.* c. *Th. d. ſuar.* Non tamen hi ordines erant certi militiæ gradus. *l. ult.* c. *d. fugit. colon.* ſed honorariæ ſaltem dignitatum denominationes, *l. ult.* c. *d. numerar. l. 6.* c. *d. princip. agent. in reb.* quibus certi homines, vel lege officii, vel ſpeciali principis reſcripto decorabantur *l. 47.* c. *d. decur.* certaque inde privilegia percipiebant. *l. 3.* c. *Th. d. primicer.* CASSIODOR. *VII. Var. form. ep. 1.* Hic ergo Comites ſecundi ac tertii ordinis prohibentur lavacra a provincialibus exigere, quippe qui infra illuſtriſſimatus dignitatem ac honorem erant. *l. 4.* c. *Th. de patrocin. vicar.* Pœna violatoribus hujus Conſtitutionis ſtatuitur duplum, quod æſtimatur ex pretio, quantum fuit exactum, per adærationem, aut quanti exactæ eo nomine ſpecies fuerunt. *l. 2.* c. *Th. d. t.* nec enim infrequens ad erogationes militares, vel ipſas ſpecies contribuere, vel iſtas pretio redi-

redimere *l. 18. l. 22.* c. *Th. de erogat. milit. ann.* quod tamen poſtea interdictum *l. 4. l. 5.* c. *d. Trib. in ipſ. ſpec. infer. t. t.* c. *Th. eod.* Similis pœna dupli, quæ ad æſtimationem illicitæ exactionis refertur, eſt in *l. 30.* c. *Th. d. ann. & trib.* ſi quis canonem frumentarium urbis Romæ defraudaverit; Conf. *l. 5.* c. *Th. d. can. frument. urb. Rom.* Eximuntur ab hac Conſtitutione ILLVSTRES VIRI COMITES AC MAGISTRI MILITVM *l. un.* c. *d. t.* Erant autem *magiſtri militum* alii in prætorio, alii extra aulam in diverſis provinciarum diœceſibus. Illi præſentalium militum magiſtri dicebantur. *l. 4.* c. *d. apparit. l. ult. §. 1.* c. *d. re milit.* Hi vero cum imperio militari certum provinciarum diſtrictum detinebant, *l. 8.* c. *d. diverſ. offic. l. un.* c. *Th. d. præpoſ.* quorum hic potiſſimum fit mentio. Add. VEGET. *de re milit. L. II. c. 9.* PANCIROLL. *ad Notit. Dignit. c. 31. & ſeqq.* Erantque inde plures magiſtri militum, certis imperii finibus ac regionibus præpoſiti, uti memoratur magiſter militum per Orientem *l. 9.* c. *Th. d. Jud. l. 13.* c. *Th. d. numeror.* it. magiſter militum ad limites Thraciarum atque Illyrici *l. 8.* c. *d. diverſ. offic. l. un.* c. *Th. de Luſor. Danub.* it. per Africam. *l. ult.* c. *Th. d. deſertor. l. 9.* c. *Th. ad Leg. Jul. d. adult.* Habebant ſummam jurisdictionem militarem *l. 6.* c. *d. juris d. omn. jud.* curabantque, ut annona militibus recte præberetur, &, ſi quid eo nomine fuerit conqueſtum, cognoſcebant. *l. 5. 14. 15.* c. *de erog. milit. l. 4.* c. *d. offic. jud. milit.* iidem & veteranis militibus præerant & prædia illis aſſignata aſpiciebant. *l. 9. l. 11.* c. *Th. d. Veteran.* imperatorum porro juſſa ad milites deferebant. *l. 8.* c. *Th. d. re milit.* Inter privilegia, quibus gaudebant, erat præcipue titulus iſte, quod di-

cerentur illuſtres ac magnifici *l. 33. c. d. curſ. publ. l. 8. c. d. metat. l. 17. Th. d. re milit.* viri eminentiſſimi *l. 17. c. d. re milit.* glorioſiſſimi *l. pen. c. de donat.* item inſcribebantur: inſignis auctoritas *l. 56. c. Th. d. curſ. publ. l. 12. c. Thod. d. erog. milit. ann.* illuſtris magnificentia *l. 2. c. d. offic. mag. mil.* ſinceritas *l. 11. c. Th. d. veteran.* magnitudo *l. 2. §. 1. c. d. offic. præf. præt. Afric.* gloria. *l. 2. inf. c. eod.* Et cum pedeſtri æque ac equeſtri militiæ præſiderent; inde quandoque in inſcriptionibus legum vel aliis honorificis denominationibus eædem conjunguntur; ita: comes ac magiſter utriusque militiæ *l. 13. c. Th. d. re milit. l. 43. c. Th. d. curſ. publ.* it. magiſter equitum & peditum *l. 1. c. d. offic. mag. mil. l. 17. c. d. deſert.* vel ſimpliciter magiſter equitum *l. 1. c. Th. d. bon. milit. l. 2. c. Th. d. gladiat. l. 10. c. Th. de numeror.* vel ſimpliciter magiſter peditum, vel pedeſtris militiæ *l. 6. c. Th. d. ſuſcept. mil. l. 43. c. Th. d. curſ. publ.* Quoad dignitatis ordinem magiſteria militum conſulari dignitati præferebantur *l. 1. c. Th. d. conſul. præf. magiſtr. mil.* parique honore cenſebantur cum præfectura urbis, ac prætorii *l. 1. l. 2. c. Th. d. t. l. 1. c. d. præf. præt. urb.* habebant ſuos apparitores militiæ *t. t. C. Th. de privileg. apparit. magiſter. pot.* Referebantur præterea in majori dignitatum laterculo, cumque iis jungebantur Comites primi ordinis, ſicuti & ipſi hunc comitivæ honorem habebant; ex qua ratione Comes & magiſter militum conjunctim legitur, tum in noſtra conſtitutione, tum *l. 18. c. Th. d. erog. milit. ann. l. 3. c. Th. d. ſalg. l. ult. c. d. commeat. l. 16. c. d. deſert.* Porro eodem recenſentur Tribuni ſcholarum *l. 12. c. d. erog. milit. ann. l. ult. c. numer. aliique.* Add. GUTHER. *d. offic. Dom. Aug. L. I. c. 1.* CASSIODOR. *VI. Var.*

*form.*

*form. ep. 6.* PANCIROLL. *ad Not. Dignit. I. c. 55.* His igitur, in majori militiæ gradu & ordine conſtitutis, balneum exigere eſt permiſſum, cum hoc tamen temperamento, ut erogationum militarium exactores, non indefinite & indiſtincte aliquid eo nomine a provincialibus exigere poſſint, ſed tum demum, ſi id miniſterium Comites ac magiſtri illuſtres ſpecialiter petierint.

§. VII.

Balneum publicum omnis recte adit, niſi legibus aut conſuetudine ipſi hoc ſit interdictum. *l. 2. §. 9. ff. ne qu. in loc. publ.* Primario autem uſus balnei publici pertinet ad cives & incolas, qui ex municipii jure ſimul & balineis fruuntur. *l. 27. §. 1. ff. ad municip.* Ex humanitate indulgetur etiam illis, qui ejusdem civitatis non ſunt, uti peregrinis. *arg. l. 9. pr.* C. *d. epiſc. aud.* verb. *ex humanitate.* Nec ſervi jure Romano a balneis arcebantur, uti declarat vetus inſcriptio ex Steph. Pighio relata a GRVT. *Theſ. inſcript. p. 181. n. 1.*

C. AVRVNCEIVS
COTTA
COLONIS INCOLIS HOSPIT
ADVENTORI QV. SERVIS B.
EORVM
LAVATIONEM EX SVA PECVNIA
GRATVITAM IN PERPETVVM DEDIT.

§. VIII.

Neque excommunicatum hactenus arceri arbitramur, quia non ex jure civitatis ſolum jus lavandi dependet, ſed ex jure gentium, cujus excommunicatus etiam

adhuc eſt particeps. Vitandum tamen illorum in balneis conſortium, monet *cap. 24. Cauſ. 24. qu. I.* adducto exemplo Polycarpi Smyrneorum antiſtitis, quod tempore quodam, cum apud Epheſum balneas lavandi gratia fuiſſet ingreſſus, & vidiſſet ibi Cerinthum, exilierit continuo, & diſceſſerit non lotus, dicens; *Fugiamus hinc ne & balneæ ipſæ corruant*, in quibus Cerinthus lavat, inimicus veritatis.* Quod capitulum deſumtum eſt ex IRENAEO *III. adverſ. hæreſ. cap. 3.* ubi eundem caſum refert, additque HIERONYMVS *adverſ. Luciferan. cap. 8.* contigiſſe, ut poſt diſceſſum Polycarpi corruerint ædes balneares, & Cerinthus cum aſſeclis ſuis fuerit oppreſſus. At, cum EVSEBIVS *L. IV. c. 13.* NICEPHORVS *L. IV. c. 22.* eandem hiſtoriam referant, nec tamen de ruina balnei inſecuta quid commemorent, de fide illius hiſtorica merito dubitamus, procul dubio enim, ſi verum fuiſſet, tantum rei momentum Euſebius & Nicephorus non prætermiſiſſent. Pœnitentes vero, in publica pœnitentia conſtituti, poſt actam pœnitentiam aliquot tempus a balneis, conviviis, aliisque deliciis abſtinere debebant. *cap. 8. Cauſſ. 33. qu. 2.* Add. KNORR. *de pœnit. Eccleſ. cap. VII. n. 32.*

§. IX.

Ex jure imperii publicis arcendi ſunt balneis Judæi; quod confirmatur privilegio a Wenceslao Imp. balneatoribus anno 1406. conceſſo, apud GOLDAST. *Tom II. der Reichs - Sazung p. 82.* ibi: *Die Jüden ſollen nicht allein die Badſtuben, ſondern auch der Bader Behauſung meiden.* Jure Canonico chriſtianis omnino interdicitur, ne cum Judæis in balneis lavent, & quidem ſi laici ſint,

ſint, excommunicantur, ſi clerici, degradationis pœna ſtatuitur. *c. 13. c. 28. qu. V.* LIMN. *J. P. III. c. 2. n. 49.* Arcentur deinde a balneis publicis leproſi, aut alio morbo peſtilente laborantes, ſc. propter infectionis metum, cum enim in balneis, propter calorem, pori corporis ſint patentiores, ut ita peſtiferi humores ex vitiato corpore exeuntes, facile ſe inſinuare poſſint, & alterum inficere, ſedulo omnino cavendum, ut nemo admittatur, qui morbo tali laborat. Ita & propter fœtorem oleoſum Romanos cum Afris non laviſſe, tradit IVVEN. *Sat. V. verſ. 86.* Ex hac ratione etiam balneator, ſi qua graſſantes peſtiferos morbos deprehendat, debet id denunciare magiſtratui, ut publica quæratur medela, nec malum latius ſerpat, uti eſt *in der Gräflich Schwarzb. Bader - Ordnung, in den Gemeinſchaffts - Amt Gehren art. 6.* verb. *anzeigen, desgleichen ſie auch zu thun gehalten ſind, wenn anſteckende Seuchen, oder andere gefährliche Kranckheiten an einen oder andern Orte ſich mercken lieſſen, würde aber einer ſolches ungebührlich verſchweigen, und des überführet werden, der ſoll ernſtlich geſtraffet, auch nach Gelegenheit des Handwercks verluſtig erkant werden.* Ipſa quoque inſtrumenta perſonis ejusmodi infectis adplicita, ſeparatim ſervari debent, neque aliis adplicari, ne inficiantur. *Gräfl. Schwarzb. Bader - Ordnung art. 13. circ. fin.* ibi: *Inſonderheit auch, ſo eine verdächtige Cur mit gefährlichen Seuchen oder mit Franzoſen, Auſſaz und dergleichen behaften Perſonen vorkommen würde, ſollen die Inſtrumenta, Las- und Schröpf - Eiſen, und die ſie bey ſolchen Patienten gebrauchen, ſonſt niemand anders beygebracht werden, ſondern abſonderlich gehal-*

*gehalten, und alles vermieden werden, was andern zum Eckel oder Schaden gereichen könte oder mögte.*

§. X.

Religioſis vero balneum publicum non eſt interdictum. *c. 24.* C. *24. qu. 1.* CAEPOLL. *d. S. U. P. cap. 52. n. 6.* GREGOR. *Synt. L. 18. c. 26. n.* 7. dummodo id fiat cum præſcitu Prioris ſeu Prælati; id quod ſanxit Ludovicus Pius *in Capitulari* Aquisgranenſi *cap.* 7. apud BALVZIVM *p. 581.* ubi paulo poſt in Capitulari Helmſtadienſi additur: *Ut monachi balneis generaliter tantum in nativitate & in paſcha Chriſti, verumtamen ſeparatim utantur, ne ſc. corrumpantur ſeculi moribus,* quæ tamen apud Baluzium alioſque non extant.

§. XI.

Erant lavacra publica olim promiſcua, ubi omnes laverentur ſine dignitatis diſcrimine. Equidem tradit VALERIVS, Senatum Carthaginenſem cum plebe non laviſſe *L. 9. c. 5. in f.* ubi inquit; *inter Carthaginenſem & Campanum Senatum æmulatio fuit. Ille enim ſeparato a plebe balneo lavabatur; hic diverſo foro utebatur. Quem morem Capuæ aliquandiu recentum C. quoque Gracchi oratione in Plautium ſcripta patet.* Attamen illum morem Romæ receptum fuiſſe, veſtigium non extat, & contraria magis experientia, ſub ſtatu monarchico principes cum populo promiſcue laviſſe, declaratur. De Hadriano principe refert SPARTIANVS *c. 17. publice frequenter & cum omnibus lavit.* De Alexandro Severo LAMPRIDIVS *c. 42. Thermis & ſuis & veterum frequenter cum populo uſus eſt, æſtate maxime.*

§. XII.

## §. XII.

A promiſcua tamen hac lavatione abſtinuiſſe leguntur moderatiores, quos cognatio naturalis quodam inter ſe pudore ſegregabat; ſicuti enim nuditas corporis proſtituit, ita nudum aſpicere onerat reverentiam ſanctioribus cognatis debitam; ita Gordianum cum ſocero ſuo non laviſſe tradit CAPITOLINUS *in Gord. c. 6. Socero ſuo Annio Severo tantum detulit, ut in familiam ejus, quaſi filium migraſſe ſe crederet, ut nunquam cum eo lavarit, nunquam illo præſente ſederet ante præturam.* Quod antiquioribus etiam uſui fuiſſe memorat VALER. MAX. *I. c. 2. n. 27. Aliquando nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero lavabatur;* id quod deſumſit ex CICERONE, qui *I. offic. c. 35. in f. Noſtro quidem more,* inquit, *cum parentibus puberes filii, cum ſoceris quidem generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra & duce.*

## §. XIII.

Mixta virorum & fœminarum lavacra, primis balnei temporibus, apud Romanos in uſu non fuiſſe, declarat adductum ſuperius Varronis & Vitruvii teſtimonium. Verum, poſteriori ætate, accreſcente Principum libidine, in publicam corruptelam pervenit mixtim lavari viros ac fœminas. LAMPR. *in Heliog. c. 31.* Similiter Gallienum Imp. cum præfectis ſuis & Magiſtris officiorum atque cum fœminis laviſſe, auctor eſt POLLIO *in vit. Gall. c. 17.* Diſſolutos vero fœminarum Rom. mores in commune carpit IUVENALIS *Sat. VI.* & MARTIALIS paſſim. Et CLEMENS ALEXANDRINUS, qui ſub Antonino & Severo floruit, non modo fœminas communes cum viris

balneas exercuiſſe, ſed etiam omni pudore depoſito, ſeſe ad excitandam libidinem nudas in ipſis ſpectandas præbuiſſe, *L. III. Pædagog. c. 5.* graviſſime deteſtatur. Eodem facit CYPRIANVS *de virg. hab. n. 66.* ſcribens: *Quid vero, quæ promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis, pudori ac pudicitiæ dicata corpora proſtituunt, quæ cum viros, ac a viris nudæ vident turpiter & videntur, nonne ipſæ illecebram vitiis præſtant.* Add. MERCVR. *d. art. gymn. L. 1. c. 10.* Atque usque in Juſtiniani ætatem plures perverſi hujus moris caſus extitiſſe, declarat ejusdem conſtitutio *l. fin. §. pen. C. d. repud.* ubi inter legitimas divortii cauſas additur, ſi fœmina cum viris mixta lavacra inierit. Add. *Nov. 22. c. 16. 17.* Add. BARGAEVS *in epiſt. ad Uſimbard. de Everſor Ædific. Rom. circ. fin. quæ extat in Theſ. Græv. Tomo IV. p. 1867.* Mixta hæc lavacra Cenſoriis quandoque legibus prohibita, ſevere rurſus interdixit Hadrianus Imp. teſte SPARTIANO in *vit. c. 18. Lavacra pro ſexibus ſeparavit.* Quam dein legem per corruptos mores detritam in uſum rurſum revocavit Antonius Imp. teſte CAPITOLINO *in vit. c. 23. Lavacra mixta ſubmovit; mores matronarum compoſuit diffluentes & juvenum nobilium.* Cæterum abditam iterum per Heliogabalum hanc legem plenius reſtituit Alexander Severus, uti auctor eſt LAMPRIDIVS *c. 24 Balnea mixta Romæ exhibere prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiſerat.* De jure imperii hodierno quin mixta lavacra virorum cum fœminis ſint iterdicta, eo minus dubii, quod moribus chriſtianiſmi ea penitus adverſentur. Et ipſa IVSTINIANI Conſtitutio *in d. l. fin. C. d. repud.* etſi de lavacris ſaltem perſonarum conjugatarum loquatur, tamen propter publicam pudicitiæ

citiæ rationem utiliter etiam ad omnes adplicatur. Siquidem & hic mos penitus ſublatus in Concilio Laodicenſi *can. 30.* & poſtea Trullenſi *can. 77.* uti refertur in *cap. 28. Diſt. 81.* his verbis: *non oportet miniſtros altaris, vel eeiam clericos quoslibet, aut continentes ſe, aut omnem omnino chriſtianum cum mulieribus lavacra habere communia; hæc eſt enim apud gentiles prima reprehenſio.*

§. XIV.

Vindicatur jus lavandi in proprio remediis poſſeſſoriis atque exceptione doli, nec non injuriarum; dolo enim & injuria facit, qui me in uſu rerum mearum licito vult impedire, & cum etiam turbet poſſeſſionem exercendi iſtius juris, dantur domino interdicta communia contra turbantes propoſita *arg. l. 41. §. 8. ff. d. leg. 1.* Ad lavandum autem in alieno citra domini conceſſionem actio nulla competit, quia deficit jus, ergo & juris remedium. *arg. l. 8. pen. ſi ſerv. vind.* Conſenſum autem a domino perſequimur actione ex contractu, vel actione ex teſtamento, ſi ex ultima voluntate competat &c. *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* Verum in publico lavare prohibitus contra prohibentem habet actionem injuriarum *l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. l. 13. §. 7. ff. d. injur.*

§. XV.

Tempus lavationis certum legibus definitum non eſt, ſed cujusvis arbitrio permittitur; quo ſpectat TERTULL. *in apolog. c. 42. Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam; attamen lavor honeſta hora & ſalubri, quæ mihi calorem & ſanguinem ſervat.* Et quidem

antiqui Romani raro lavabantur, uti ait SENECA *ep. 86. Imo ſi ſcias non quotidie lavabantur; Nam ut ajunt, qui priſcos mores urbis tradiderunt, brachia & crura quotidie abluebant, quæ ſc. ſordes opere collegerant. Cæterum toti nundinis lavabantur.* Sc. in honorem Deæ Nundinæ, quæ naſcentium erat; etenim mos erat veteribus, ut infantes nono a nativitate die nominibus ſuis inſignirentur, ac dies hic luſtricus fuit appellatus, & inde teſte Macrobio, Dea huic actui præfecta a nono iſto luſtrationis die, appellabatur Nundina, ſolebantque eidem in memoriam diei luſtrici ſacra hoc die facere, & ſe lavare. Inde quoque nono quoque die conventus ruſticorum in urbe erat, qui res venales, quas habebant, ibi exponebant, uti late deſcribit DIONYSIVS HALICARN. *lib. VII. p m. 463.* & ERYCIVS PVTEANVS eleganti tractatu *de nundinis Romanorum.* Verum, poſtquam exſtructa ſunt intra urbem Balnea, & maxime ætate Pompeii, cœperunt ſingulis diebus toto corpore lavari, eratque in balneis publicis hora præſtituta æſtate octava, hyeme nona. PLINIVS *III. ep. 1. ubi hora balnei nuntiata eſt, eſt autem hyeme nona, æſtate octava.* MARTIALIS *Epigr. 29.*

*Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris*
*Octavam poteris ſervare, lavabimur una.*

SPARTIANVS *in Hadr. c. 22. ante octavam horam in publico neminem niſi ægrum lavari paſſus eſt.* Add. MART. *X. epigr. 48.* VITRUV. *L. 5. c. 10.* Erat hæc hora proxima poſt palæſtras, ut ſcilicet ita ſordes in palæſtra collectas rurſus eluerent. LAMPRID. *in Alex. c. 30. poſt lectionem, operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus mollibus dabat, atque inde unctus lavabatur.* Et quæ hora proxime

me ſequeretur, ad cibum ſumendum erat deſtinata, ut ita vires refocillarent. ARTEMIDORVS *L. I. Oneir. c. 66.* SEN. *ep. 83. Non multum mihi ad balneum ſupereſt, panis deinde ſiccus & ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lavandæ manus.* LAMPRID. *in Alex. c. 30. Egreſſus balneas multum lactis ac panis ſumebat, ova, deinde mulſum, atque bis refectus aliquando prandium inibat, aliquando cibum usque ad cœnam differebat.* Add. FABRIC. *in deſcript. Rom. c. 18.* Quem morem etiam apud antiquos Germanos obtinuiſſe, tradit TACITVS *d. morib. German. c. 22. ſtatim,* inquiens, *e ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur: ſæpius calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Lauti cibum capiunt.* Sequiori dein ætate & maxime Galeni Medici, etiam poſt captum cibum ſtatim balnea ingrediebantur, quod crederent eadem ad concoctionem ſtomachi proficere. PLVTARCH. *d. tuend. ſan. p. 246. Uſus balnei calidi multo plus veniæ meretur; non enim tantum vigoris roborisque aufert, quantum ad ſanitatem conducit, eo quod exordia concoctioni præbet, eaque lenia, ac iis quæ concoctionem effugiunt, niſi plane ſint cruda, & in ſummo ſuſpenſa maneant, diffuſiones dolorem nullum afferentes comparat.* Conf. STVCK. *antiquit Conviv. L. II. c. 25.* A ſtata iſta diei hora poſtea luxuria temporum ita deſcivit, ut multoties ſine certo tempore uno die lavarentur. LAMPRID. *de Commodo Imp. c. 11. Lavabat per diem ſepties atque octies, & in ipſis balneis edebat.* CAPITOLINVS *de Gordiano c. 6. Lavandi cupidus, ita, ut & quater & quinquies in die lavaret æſtate, hyeme bis &c.* Immoderatam penitus in lavando corruptelam in Heliogabalo deſcribit LAMPRIDIVS *c. 30. Sic unum convivium vix toto die finitum eſt, quum & lavarent per*

 *ſingula*

*ſingula fercula, & mulieribus uterentur.* it. POLLIO *de Gallieno c. 17. Lavit ad diem ſeptimo æſtate vel ſexto, hyeme ſecundo.* Alexander Severus etiam ad noctem usque balnea produci permiſit, teſte LAMPRID. *in vit. ej. c. 24.* Quem tamen morem revocavit Tacitus Imp. teſte VOPISCO in *vit. ej. Thermas omnes ante lucernam claudi juſſit, ne quid per noctem ſeditionis oriretur.* Noſtro tempore tempus lavandi eſt arbitrarium, poſſuntque balneatores inter ſe ſtatuere, ut lavetur certo die, ante vel poſt prandium, vel tot diebus in hebdomate. KNIPSCHILD. *de jur. Civit. Imperial. L. V. c. 2. n. 66.*

## §. XVI.

Lavabantur veteres diebus non ſolum profeſtis, ſed etiam feſtis; uti auctor eſt Scævola JCtus, qui memorat argentum balneare, quo diebus feſtis in balneo uti conſueverint. *l. 40. ſ. 1. ff. d. aur. & arg. leg.* Sicuti pro corporis neceſſitate balneum nec die dominico eſt interdictum *cap. 12. diſt. 3. d. Conſecr.* Sin tamen fieri posſit, lavacrum in veſperum eſſe differendum, monet TERTVLLIANVS, ſc. ne cultus ſacrorum intermittatur. *I. adverſ. Nat. c. 13. Vos certe eſtis,* inquit, *qui etiam in laterculum ſeptem dierum ſolem recepiſtis, & ex diebus ipſorum prælegiſtis, quo die lavacrum ſubtrahatis, aut in veſperam differatis.* Eadem ex ratione Conſtitutione Honorii & Theodoſiii Impp. carcere dententis indulgetur, ut diebus dominicis ſub fida cuſtodia ad lavacrum prodeant. *l. 9. C. d. epiſc. aud.* GREGOR. *Synt. L. 18. c. 26. n. 7.* Pertinet quoque huc quod obſervat FRIED. SPANHEMIVS, quod etiam veteres Chriſtiani ſeculo ſecundo &

III. cum nulla adhuc ipſis eſſent templa, in balneis convenirent. *hiſt. eccleſ. ſec. II. ſect. 4. n. 2.* Quare etiam poſteriori tempore cœpit, ut in iis paſcha celebrarent. Videmus illud apud SOZOMENVM *lib. VIII. C. XXI.* & SOCRATEM *VI. c. XVIII.*

§. XVII.

Significabatur dicta publici balnei hora tintinnabulo æneo e metallo maxime tinniente confecto. MART. *XIV. ep. 148.*

*Redde pilam, ſonat æs thermarum.*

Alii pelves circumtuliſſe & in ſonitum pulſaſſe innuit IVVEN. *Sat. 6. verſ. 442.*

*Tot pariter pelves & tintinnabula dicas*
*Pulſari, jam nemo tubas atque æra fatigat.*

*SYLV. verſ. 70.*

*Innumeros æris ſonitum & verbere crudo*
*Vt ſenſit mugire forum.*

Erat huic tintinnabulo inſcriptum balneateris nomen, qui balneum præbebat; uti conſtat ex veteribus inſcriptionibus, quas habent ænea tintinnabula in Eſquiliis anno CIϽ IϽ XLVIII. ſub ruinis thermarum Diocletianarum reperta GRVTER. *p. 637. n. 2. n 3.* Hodie vulgato more, die, quo balneum præbetur, circumit quis per plateas civitatis, qui ſonum in pelvi orichalceo, ferrulo, vel inſtrumento ligneo excitat, atque ita publice balneum ſignificat.

§. XVIII.

Ad uſum proxime accedunt fructus civiles ſeu reditus, qui ab uſu balnei elocato percipiuntur. Referuntur

runtur autem hi ad dominum. *arg. l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.* verb. *mercedes ejus inter cæteras meritoriorum domus rationibus domini accepto ferebatur.* Reditus e balneo publico pertinent ad magiſtratum, qui licentiam erigendi aut exercendi conceſſit, qui illos ad ferenda communia civitatis onera debet impendere. Solet autem magiſtratus hos reditus e lavatione balneatoribus elocare, qui illos vel certa mercede ſingulis annis redimunt, vel conceſſo balneo atque exercitio opificii per averſionis cujusdam ſpeciem, ſibi vindicant, præſtito in quibusdam provinciis ſtato tempore locario, cujus meminit ad Comitum Schwarzburgenſium Cancellariam præfecti cujusdam relatio *zu Keula und Holz - Thaleben* his verbis: *Das Baden, Schröpfen und Aderlaſſen hingegen iſt ihme, weil kein anderer vorhanden geweſen, und er ſich mit dem Herrn Pacht - Amtleuten wegen des gewöhnlichen jährlichen* Locarii *etwa abgefunden, unverwehrt zu* practiciren *geblieben.*

§. XIX.

Propter fructus dominus aut balneator tenetur ad onera, ſolvuntur enim hæc in compenſationem fructuum. *l. 4. C. Th. ſin. cenſ. vel rel.* Et quidem de balneis arte factis ac meritoriis recte ſolvi collectas facile concedimus *l. 3. C. Th. d. conlat. donat.* At balneis ſeu thermis naturalibus collectas imponere, videtur iniquum, ſicuti & in Germania plures ejusmodi collectarum impoſitione exaruiſſe, ſcribit CAMERAR. *hor. ſucciſ. Cent. II. cap. 9.* Tenetur autem principaliter collectas ſolvere ipſe dominus, ſin vero hujus facultas haberi non poſſit, obligatur ille, qui balneum ſub conductionis penſione detinet,

tinet, eſt enim onus reale, ita tamen, ut, quod contulit, rationibus domini imputare & de mercede deducere poſſit. *l. 3. C. Th. d. conlat. donat.* Sunt vero hæc onera alia realia, ſeu quæ intuitu balnei debentur, uti ſunt omnia quæ ædificiis ſunt impoſita, horum enim appellatione hæc continentur, niſi ſpecialis ratio eadem exemerit; Non tamen ſpectant ad balneorum poſſeſſores onera, quæ habitationibus imponuntur; inde ab inhoſpitatione militum, non tam ex privilegio, quam ex natura & conditione ſua, balnea ſunt exempta. *l. 6. C. d. metat. & epidem. Nov. 130. c. 9.* Accedit & illa ratio, ne liber eorum uſus impediatur, tum, ut militibus occaſio furti ac laſciviæ præſcindatur. TABOR *ad d. l. 6. C. de metat. & epidem. Sect. II. cap. 3. art. 2. §. 9.* At hodie, cum balnea plerumque ædibus ſint juncta, in iisque ſimul balneator habitet, vix eſt, ut balneatorem ab inhoſpitatione immunem prædicemus, niſi alias privilegio quodam excuſetur, TABOR *l. c.* Alia onera ſunt perſonalia, quæ balneator fert intuitu artis atque operæ balneariæ, TABOR. *d. met. loc. cit.* Quo pertinent, quæ magiſter, ſocii ac tyrones balneatoriæ ſingulis ſeptimanis ad rationes tribus communes conferre debent; quod vocatur *das Aufleg-Geld*, it. *Zeug-Geld.* de quo *Gräfl. Schwarzb. Bader-Ordnung, art. 9. in med.* ibi: *Sonſt ſoll ein Geſelle, wochentlich 2. Pfennige, und ein Lehr-Junge einen Pfennig bey der jährlichen Rechnung entrichten.* it. *eod. art. 11. wöchentlich von Meiſter 4. Pfennige.* Eodem referti poteſt donatio tribus balneatoriæ, *die Schenckung des Bader-Handwercks*, ſecundum quod donationis jus, magiſter, & ſi plures in uno loco habitent, quem ordo annuatim tangit, (ſingulis enim

P annis,

annis, in conventu anniverſario tribus, ſolet conſtitui, qui hanc donationem exerceat) peregre advenienti opificii ſocio vel tyroni hoſpitium & victum per unam noctem gratis præſtare debet; De quo *in gedachter Gehriſcher Bader-Ordnung, art.* 10. his verbis: *Zum zehenden ſoll ein jeder Bader, bey welchen ein Wanders-Geſelle oder Lehr-Junge einſpricht, uhralten Gebrauch nach, denſelben eine Nacht zu beherbergen, und eine Mahlzeit, wie es das Haus vermag, zu geben, oder, da es in Zeit der* infection *wäre, ihm ſonſten eine Mahlzeit zu zahlen, ſchuldig ſeyn. Wenn nun die Nacht vorüber, und der Bader und Wund-Arzt des Geſellen oder Lehr-Jungen nicht bedürfftig wäre, ſoll er wieder fort wandern, und ſeine Beſſerung ſuchen.* Quod iisdem verbis deprehenditur *in der Fürſtl. Sächs. Weymar. Bader-Ordnung, art.* 24.

## CAP. V.
## DE PRIVILEGIIS BALNEI ET BALNEATORVM.

*SVMMARIA.*

*Jus aſyli balneis Eccleſiæ datum eſt.* §. 1. *Immunitas balneis quibusdam conceſſa.* §. 2. *Jus aquæ caducæ ducendæ ad balneas.* §. 3. *moduli aquarum quid. ib. calix. ib. Jus Tribus balneatorum, ejus definitio.* §. 4. *ejus origo incerta.* §. 5. *æſtimatio balneatorum civilis* §. 6. *tyro balneatorius, ejus officium & requiſita.* §. 7. *ſocius magiſtri balneatoris.* §. 8. *quid faciendum balneatori, qui ad magiſterium aſpirat.* §. 9. *Examen futuri balneatoris.* §. 10. *receptio balneatoris.* §. 11 *prandium & præſtatio iurium.* §. 12. *Jura tribus* §. 13. *Conventus*

*balnea-*

*balneatorum.* §. *14. inſigne balneatorum.* §. *15. penes Principem eſt, jura balneatorum vel augere vel imminuere.* §. *16. quas operas proprie exerceant balneatores.* §. *17. 18. 19. 20. quam culpam præſtet balneator circa operam ſuam.* §. *21. quomodo tollatur tribus balneatorum.* §. *22.*

§. I.

Inter privilegia balneis data, eſt IVS ASYLI, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Theodoſii & Valentiniani conſtitutione confirmatum; quod etiam ad balnea illius Eccleſiæ porrigitur, ita, ut neminem liceret inde extrahere, aut armis illatis vim inferre. *l. 3. C. d. his qui ad Eccleſ. confug.* Communeque hoc omnibus fuiſſe eccleſiis, ex eo colligo, quia ratio in dicta lege adjecta, non deſumta eſt ab honore & majeſtate urbis, ſed a reverentia & ſanctimonia templis divinis debita, quæ proinde omnibus exſtructis ædibus ſacris congruit. Ad alia tamen balnea Clericorum, aliasque ædes religioſe habitas, hoc privilegium non fuit porrectum, niſi quatenus intra aream Eccleſiæ privilegiatam fuerint exſtructæ. *cap. 7. cap. 35. C. XVII. qu. 4.* Quod itidem privilegium Legibus Francorum balneis Eccleſiarum datum, ita, ut qui ſine armis confugientem ad illa loca extraxerit, capite puniretur. *L. VII. Capitular. Franc. can. 174. Ut eos timoris neceſſitas non conſtringat, circa altaria manere, & loca, veneratione digna, polluere, depoſitis armis qui fugiunt. Quod ſi non depoſuerint, ſciant ſe armatorum viribus extrahendos; Et quicunque eos de porticibus & de atriis & de hortulis, de balneis, vel adjacentiis Eccleſiarum abſtrahere præſumſerit, capite puniatur.* Add. DECIAN. *Tractat. Criminal. L. VI. c. 25. & ſeqq.*

§. II.

II. IMMVNITAS ab oneribus publicis extraordinariis conceſſa Balneis in urbe Roma & Conſtantinopoli; In quam rem extat Arcadii & Honorii Impp. Reſcriptum *in l. 3. C. Th. d. collat. donat.* quod a ſuperindicti oneris collatione urbem Romam eximit; Similem immunitatem Conſtantinopoli tribuunt Conſtantius & Conſtans Impp. *l. 6. C. Th. d. extraord. mun.* Add. *Nov. 43.* Productum quoque fuit Arcadii & Honorii privilegium ad mancipes thermarum, qui in exercitio compendiisque ſalinarum exhibitionem thermarum Romæ curabant. *l. 1. C. Th. d. mancip. therm. d. l. 3. C. Th. d. collat. donat.* Quod & anteriorum Principum placitis jam cautum erat, & a Valentiniano etiam Navicularіis, qui ſimul inter mancipes thermarum, neceſſitatibus lavacrorum ligna convectabant, adhuc fuerat indultum. *l. 10. C. Th. d. navicul.* Eadem ab extraordinariis immunitas a Conſtantino data eſt illis, per quorum prædia publici aquæductus meabant, ut eorum opera aquarum ductus ſordibus oppleti repurgarentur.. *l. 1. C. d. aquæd.* A Conſtantio & Conſtante etiam artificibus aquæductuum, qui aquarum inventos ductus & modos docili libratione oſtendunt, immunitas ab oneribus perſonalibus eſt conceſſa. *l. 2. C. d. excuſat. artif. l. 3. C. Th eod.*

§. III.

III. Huc pertinet IVS AQVAE CADVCAE ducendæ ex publico aquarum receptaculo ad balneas, quod per ſpeciale Principis reſcriptum dabatur, vel rei vel perſonæ. *l. 1. §. 39. & ſqq. ff. d. aqu. quotid.* RVLAND. *d. Commiſſ. P. IV. L. 3. cap. 13.* Nimirum apud antiquos omnis

aqua

aqua in publicos uſus erogabatur, eratque lege publica cautum, ne quis aliunde aquam urbanam niſi ex caſtellis publicis derivaret. *l. 3. C. d. aquæd.* Erant autem caſtella, publica aquagia, in quæ aquæ undique corrivatæ per canales ſtructiles, aut fiſtulis plumbeis, aut tubis fictilibus fluebant, tamque tenaci ac dura materia, ut vix ferro frangi potuerint. FABRIC. *Rom. c. 19.* MARLIAN. *Topogr. L. IV. c. 14. circ. fin.* Caſtellis iſtis ad recipiendam aquam adjunctum erat triplex immiſſarium. *l. 2. C. Th. d. aquæd.* Intra hæc ipſa receptacula tres fiſtulæ, æqualiter diviſæ, erant collocatæ, ut, cum abundaverit aqua, ab extremis in medium receptaculum redundaret. Hæc igitur aqua abundans CADVCA dicebatur; it. ſuperflua *l. 5. C. d. aquæd.* & in balneas ac fullonicas dabatur, ſub certo vectigali, balnearum poſſeſſoribus, teſte FRONTINO *d. Aquæd. L. II. p. m. 248.* Dabatur autem hæc aqua non in infinitum, ſed ſub certis modulis ſeu menſuris; ita, ut principum virorum domibus, balnea lautiora habentibus duæ tantum unciæ, vel tres ad ſummum, ſi magna eſſet domini dignitas, concederentur. Mediocribus vero, ac inferioris meriti perſonis una tantum uncia cum dimidia; Cæteri vero media uncia debebant eſſe contenti; de qua re eſt Gratiani, Valentiniani ac Theodoſii Impp. Conſtitutio in *l. 3. C. Th. d. aquæd.* ib. GOTHOFR. Dictis porro receptaculis induebatur calix ſeu modulus æneus, qui erat modulus erogatorius, & certo ſigno, ac nomine ejus impreſſo, cui aqua debebatur, erat ſignatus. *l. 2. C. Th. d. aquæd.* huic dein applicabantur dictæ fiſtulæ, ejusdem luminis ſeu capacitatis, & per has aqua ad thermas fluebant. *l. 6. C. d. aquæd.* FRONTIN. *d. l. Lib. I.*

*p. m. 42.* CAMERAR. *in not ad Vitruv. l. c. 7.* MARLIAN. *Topogr. L. IV. c. 10.* Erat præterea hoc privilegium olim ſtrictæ interpretationis & maxime perſonale, quod neque hæredem, neque emtorem, neque ullum novum dominum ſequeretur. *l. 21. ff. d. uſu & habit.* & inde, cum deficiente poſſeſſore fiſtulæ quædam vacare cœpiſſent, annunciabatur id in publicum, inque commentarios redigebatur, & inde petitoribus rurſus concedebatur. *l. 2. C. Th. d. aquæd.* VITRVV. *L. VIII. c. 7.* FRONTIN. *d. aquæd. Lib. II.* Solis balneis publicis, quæ ſemel ex antiquo privilegio jus aquæ impetraſſent, idem perpetuo manebat. Unde privilegium illud, aliud reale, aliud perſonale eſſe, perhibet VLPIANVS *in l. 1. §. 39. & ſeqq. ff. d. aqu. quotid.* cujus ratio facile patet, cum enim balnea publica eſſent plerumque in patrimonio civitatis, utique poſſeſſorem ſuum non mutabant, cum civitas ſemper eadem maneat. *l. 56. ff. d. uſufr.*

§. IV.

re. Vid. *Gothaiſche Landes-Ordnung, P. II. Conſt. 3. tit. 6. §. 1. & 2. late.* Uti ſunt *Artzneyen zu ſchwitzen, purgiren, Wundträncke &c.* qualia ſi velint adhibere, quod eadem neceſſaria duxerint, ſine præſcitu ac præſcripto medici id facere non debent. *Gräfl. Schwarzb. Ordnung art. 7. Kein Bader ſoll denen Patienten innerliche Artzeneyen zu ſchwitzen, purgieren oder dergleichen geben, bey Straffe 4. Thaler unſern Amte verfallen; da ſie aber denen Patienten dergleichen nöthig zu ſeyn erachteten, ſolches dem Land-Phyſico oder ſonſt einem andern medico angezeiget, und von denſelben das Recept vorgeſchrieben werden, erfordert es auch die Nothdurfft, daſs einen Verwundeten ein Wund-Tranck einzugeben, ſoll ſolches dennoch nicht ohne Vorwiſſen eines medici geſchehen, bey Straffe 2. Thaler unſern Amte.* it. *Fürſtl. Sächſs. Weym. Bader-Ordnung, art. ult. Soll kein Bader, er ſey Meiſter, Geſelle oder Mittler ſich unterſtehen, innerliche Kranckheiten zu curiren, und dem Patienten Artzeney einzugeben; iedoch wird ihnen Wund-Träncke, Pflaſter, und was ſonſten denen Badern und Wund-Aerzten zukommt, ſelbſt zu præpariren, und zu verbrauchen, beſage Fürſtl. Regierungs-Receſſus, ſub dato Weymar zur Wilhelmsburg den 19. Febr. 1672. hiemit vorbehalten; Welcher aber hiernechſt dawieder handelt, und deſſen überwieſen würde, ſoll iedesmahl 10. Gülden Straffe, halb der Obrigkeit, und halb dem Handwercke in die Lade zu geben ſchuldig ſeyn.* In caſu vero neceſſitatis ubi periculum in mora, balneatori in caſu præſenti prima ligatura ſolet concedi, *der erſte Band,* ita tamen ut dein denuntiare debeant chirurgis, ipſisque penitus concedere. Uti eſt decretum Senatus Serveſtani de anno 1620. *Wir Bürger und Rathmann der Stadt*

 *Zerbſt,*

*Zerbſt, fügen hiemit zu wiſſen; demnach die geſamten Meiſter des Balbier-Handwercks Klägere an einen, wieder und über die geſamten Bader Beklagten andern-Theils ſich beſchwehret, gleichſam Beklagte denen Balbieren zum præjudiz vieles, welches ihnen, denen Balbieren, Jnnhalts des Jnnungs-Brieffes, ſo ihnen von E. E. Rath ſub dato Mitwochs nach der heiligen drey Könige anno 1538. ertheilet, und nach alten Gebrauch und Handwercks Gewohnheit allein zuſtünde und gebührete, und inſonderheit friſche gehauene und geſchlagene Wunden zu heilen, und Becken wie die Barbierer auszuhengen; dahero offtmahls groſs Wiederwillen und Ungelegenheit unter den fremden Balbier-und Bader-Geſellen ſich erhübe, auch dem Barbierer Handwercke deswegen in andern Städten übel nachgeredet würde; Jſt der Beſcheid. Weil in obig erwehnten Jnnungs-Brieff ſub n. 3. ausdrücklich zu befinden, daſs kein Bader friſche Wunden verbinden und heilen ſölle, er thue denn ſolches mit Vorbewuſt und Zulaſsung der Barbierer; daſs forthin kein Bader friſche gehauene und geſchlagene Wunden, jedesmahl bey 3. Thaler Straffe verbinden ſoll, iedoch mit dieſer Erklärung, daſs ihnen, denen Badern, den erſten Band friſcher Wunden zu thun, hiemit frey gelaſſen ſeyn ſoll; und wenn derſelbe geſchehen, ſöllen ſie ſolches denen Gerichten alſobald, damit die Thäter gegriffen, und zu gebührender Straffe gezogen werden können, anzeigen, und hernacher die Patienten zu denen Balbieren iedesmahl bey 3. Thaler Straffe zu verweiſsen, ſchuldig ſeyn. Was aber alte Schäden, Geſchwüre oder ſelbſt gewachſene Schäden ſeyn, iſt ihnen dieſelbe zu heilen, hiemit unbenommen &c.* Dat. 1620. d. 28. Febr. Sin vero aliquo loco aut chirurgi non ſint, aut nimis diſſiti, recte balneatores præſentes, aut non adeo diſtantes curationem ſuſcipere poſſunt, ne ſcilicet neg-

negligatur æger, aut propter incerta, & periculoſa, quæ ſæpe accidere poſſunt, ſymptomata vitæ diſcrimen incurrat, aut alias detrimentum capiat; uti eſt Decretum Gothan. 1688. d. 30. Maji, quod conſenſu Magnif. Dni. BEIERI ex ejus MSt. huc recenſendum. *Denen Badern ordentlicher Weiſse keine Curen bey verwundeten Perſonen, ſondern nur in Nothfällen, entweder, wenn ſo bald keine Balbiere zu erlangen, oder gar keiner des Orths vorhanden, zu verrichten, noch dergleichen Patienten anzunehmen, zukömmet.* Poſſe tamen hæc jura, quæ balneatores cum chirurgis communia prætendunt; v. g. *Das Becken-Aushengen, friſche Wunden zu heilen, trucken zu putzen &c.* præſcriptione, privilegio aut alio quovis legitimo titulo acquiri, ac poſſideri, evincit ſententia Dnn. Wittenbergenſium ad requiſitionem Senatus data 1664. menſ. Sept. Serveſtani. *Hat im Jahr 1660. zwiſchen den geſammten Meiſtern des Barbier-Handwercks, Klägern an einen, und beklagte Bader an andern Theile, wegen des Verbindens und Putzens ſich Klage erhoben, und als darauf Bürger-Meiſter und Rathmanne bey Euch einen Beſcheid ertheilet, iſt derſelbe hernach* ex capite nullitatis *in der Fürſtl. Regierung umgeſtoſſen, und ihr auf angeſteltes* Summariſſimum *nach eingeholten Urtheil* in poſſeſſione vel quaſi *ſo lange geſchützet worden, biſs Kläger* in ordinario poſſeſſorio *oder* petitorio *ein anders ausgeführet, bey welcher* poſſeſſion *ihr noch geruhig gelaſſen worden, biſs daſs ohngefehr im Jahr 1660. beym Landes-Fürſten die Balbier ein privilegium wieder Euch erhalten, nach mehrern Innhalt eures Berichtes, und deren Beylagen. Wenn nun gleich ein Fürſt und Herr privilegien und Freyheiten auch* motu proprio *ſeinen Unterthanen zu ertheilen*

*Macht hat; Dennoch aber und dieweil die Balbierer das privilegium wieder Euch ſelbſt 40. Jahr hernach ausgewürcket, als zuvorhero vor Euch durch das von Fürſtl. Regierung eingeholte und eröffnete Urtheil* in poſſeſſione vel quaſi *friſche Wunden zu verbinden, Ader zu laſſen, trucken zu putzen, und Becken auszuhengen, erkandt worden; und es das Anſehen hat, daſs dem Landes-Fürſten die Barbierer in ihren Unterthänigſten Suchen die litispendenz verſchwiegen, ihr auch zu vorher und ehe das privilegium ergangen, nicht gehöret worden, ſo ſeyd ihr wieder angezogenes privilegium mit eurer Nothdurfft zu hören, und ehe und bevor ſolches geſchehen, bey der* poſſeſſione vel quaſi *des Verbindens, Putzens, und andere oben erzehlten billig zulaſſen. V.R.W.* Nec ita diſtincti ſunt balneatorum & chirurgorum circuli, ut non tranſitus ab uno ad alterum fieri poſſit, aut quis ſimul & chirurgiam exercere & balneator exiſtere poſſit, ſi legitimam conceſſionem deſuper impetraverit. LIMN. *d. J. P. IV. c. 8. n. 299.* Et inde facile decidenda eſt quæſtio: num balneator chirurgus civitatis ordinarius conſtitui poſſit, *ob ein Bader zum beeydigten Stadt-Chirurgo könne angenommen werden?* Affirm. uti habet Atteſtatum Senatus Dresdenſis ad requiſitionem balneatorum Halberſtadienſium datum 1649. die 12. Decembr. quod ex MSs. ſuis Magnif. Dn. BEIER. Prof. Pand. Publ. celeberrimus Patronus pl. colendus huc transferre permiſit; *Wir E. E. Rath der Stadt Dreſsden uhrkunden hiemit; Demnach Uns die Ober- und Aeltiſten aus ſämtlichen Amt der zu hieſiger Haupt-Lade gehörigen Bader- und Wund-Aerzte in Schrifften zu erkennen gegeben, was geſtalt die Alt, Ober, und andere Bader in der Stadt und Fürſtenthum Halberſtadt*

*auch*

*auch incorporirten Grafſchafften ihnen berichtet, als ſolten die Balbier daſelbſt nicht geſtatten wollen, daſs ein Bader zum Stadt-Chirurgo in Halberſtadt angenommen und verpflichtet werden möge, unter den Vorwand, daſs in ganzen Römiſchen Reich nicht erhöret worden, daſs ein Bader Chirurgiam exerciren, vielweniger ein beeydigter Stadt-Chirurgus ſeyn könte; mit Bitten, Zeugniſs zu ertheilen, wie es um die Bader hieſigen Orthes bewandt ſey. Nun dann ſolches der Wahrheit zu Steuer nicht zu verſagen; So bezeigen wir hiemit, daſs denen Badern hieſiger Stadt und benachbarten Oerthern die Chirurgie zu exerciren ſo frey ſtehe als denen Balbieren; dieſelben auch daher mit Zuziehung des Stadt-Phyſici bey Erlangung des Rechtes examiniret werden. Und ob zwar hier kein ordentlicher Stadt-Chirurgus gehalten und verpflichtet wird; Nachdem aber zu den hieſigen Stadt-Bader, ſeiner Wiſſenſchafft wegen in der Chirurgie, ein gutes Vertrauen: So pfleget, was in unſern Dienſte verunglücket wird, ſich ingemein an ihn zu halten; die Kinder auch in Wäiſen-Hauſse, ſind an denſelben ordentlich gewieſen; zu geſchweigen, daſs bey Chur-Fürſtens Joh. Georgen des II. höchſtſeel. Andenckens Zeiten, aus deſſen officin unterſchiedliche Compagnien der am Hofe ſtehenden Garde mit Feldſcherern verſehen geweſen. Dreſsden 1694. den 12. Decembr.* Idemque poſtea confirmat reſolutio Regiminis Electoralis Brandenburgenſis ad Senatum Halberſtadienſem; *da ſolcher einen Bader zum Stadt-Chirurgo annehmen wolle*, contradicentibus chirurgis, *daſs ihm ſolches zu thun ungewehret ſeyn ſolle*, die 18. Jun. 1694. Et dein decretum Halberſtadienſium in eundem ſenſum publicatum 11. Jul. 1696. Eadem ratione Decreto Comitis Schvvarzburgici ex Cancellaria Arnſtadienſi de dato

*Arnſtadt den 18. Aug. 1701.* confertur *dem Bader zu Holzthaleben Henrich Dorren die Stelle eines, Amts - Chirurgi, in den Amt Keula.*

§. XX.

(7.) Curatio fractionum oſſium ac luxationum. *Cur der Beinbrüche und Verrenckungen; Fürſtl. Weymar. Bader-Ordnung, art. 16. Weilen auch einzig und allein denjenigen Meiſtern, ſo öffentliche Bad-Stuben beſitzen, darinnen hiebevor ehrliche zünfftige Meiſter gewohnet, und ſich deren bedienet, es ſey in Städten oder auf den Lande, Wunden, Schäden, Arm-Bein-Brüche und Verrenckungen, auch alle andere des Leibes Beſchädigungen zu verbinden und zu heilen, nachgelaſſen werden ſoll.* In qua ſpcie adverſarios habent carnifices, qui illud jus ſibi conjunctim cum chirurgis & balneatoribus vindicant; quo nomine inter collegium Chirurgorum Naumburgenſium & Nicol. Ingermann, carnificem, ejusque poſtea viduam orta fuit lis 1653. quæ tamen poſt varias deductiones hinc inde propoſitas, ita per Reſcriptum Principis declaratorium fuit compoſita; *daſs die Arm- und Bein-Brüche, wie auch verborgene Verrenckungen zu heilen, denen Scharff-Richtern gleichfalls vergönnt ſeyn ſoll.* Vid. Magnif. Dn. BEIER. diſſert. *d. Carnific. cap. VI. n. 148. & ſeqq.* Eadem licentia carnifici conceditur *in der Gräfl. Schwarzb. Beſtallung Ephraim Hoffmanns, zum Amts-Balbier in Keula de dat. Arnſtadt den 3. Decembr. 1699. in fine* ibi. *So ſoll auch den Amts Nachrichter zu Holtz-Thalleben nichts verſtattet ſeyn, als Verrenckungen oder Arm- und Bein-Brüche, keines weges aber ſonſt andere offene Schäden oder Wunden zu curiren und zu heilen.*

§. XXI.

§. XXI.

Cæterum ut quis balneator fiat, aut balneatoriam exerceat, nemo cogitur; aſt, poſt profeſſionem ſemel publice factam officium ſuum omnibus impertiri tenetur, *arg. l. 1. §. fin. furt. adverſ. naut. caup. ſtabul.* STAMM. *d. Servit. II. c. 16. n. 3.* unde *in der Gehriſchen Bader-Ordnung, art. 13.* verb. *Geſtalten derienige Meiſter, der einen Patienten ſeine Hülffe und Cur verſaget, um 6. Thaler, da aber der Patiente darüber gar verdürbe, oder preſshafft bleiben würde, von Unſern Amte noch härter geſtrafft werden.* Præſtat autem circa operam ſuam balneariam & conceſſam chirurgiam dolum, culpam latam & levem *arg. l. 1. §. 8. ff. depoſ.* debetque inde proſpicere, ne quid per incuriam aut imperitiam fiat, quo caſu & ad leviſſimam tenetur & ad omnem diligentiam præſtandam, uti eſt *in der Gehriſchen Bader Privilegien, art. 5. in med. Nichts deſtoweniger ſoll ein ieder bey ſeinen Patienten allen müglichſten Fleiſs anwenden, damit durch Unachtſamkeit, Unverſtand oder Säumigkeit nichts verwahrloſet werde* In eligendis tamen miniſteriis, & ſi quid per eos factum, culpam levem tantum præſtat. Maxime autem in curationibus vulnerum cautus eſſe debet, ne quam culpam committat balneator, quam ob cauſam ſi periculoſior aut tardior curatio futura ſit, aut varia ſymptomata ægrotum in diſcrimen conjiciant, ex conſuetudine nonnullorum locorum collegam ſui tribus, vel exigente neceſſitate medicum in conſilium adhibere debet, quod etiam deſiderante ſponte ægro impedire non poteſt. Sicuti eſt *in der Gehriſchen Bader-Ordnung, art. 5. Solte die Heilung bey einen andern Patienten ſich verziehen, oder ſonſten das Gebrechen und*

*Schaden,*

*Schaden, zumahl aus vergiffteter böſer Feuchte oder andern gefährlichen Zufällen ſich vergröſſern, ſoll derſelbe Bader, ſo den Patienten in der Cur hat, ſchuldig ſeyn einen andern ſeiner Mit-Meiſter, oder auch nach erheiſchender Nothdurfft einen Medicum mit zu Rath zu ziehen; Geſtalt denn auch ſolches, wenn es ein Patiente verlanget, geſchehen, und der Bader ſich deſſen in keine wege beſchwehren ſoll.* Similiter conſtitutum *in der Fürſtl. Sächſs. Weym. Bader-Innung, art. 13.* ibi: *Soll kein Meiſter ungefordert dem andern einen Eingriff thun, und da ſichs begäbe, daſs ein Verwundeter ſich bey einen Meiſter verbinden laſſen wolte, und ſich eines ſolchen Schadens alleine zu unterwinden, Bedencken trüge, ſo ſoll er einen Medicum, oder in deſſen Mangelung, einen andern verſtändigen Meiſter zu ſich nehmen, damit der Patient deſto fleiſsiger in acht genommen, und geheilet werden möge, geſtalt denn auch einen ieden frey ſtehen ſoll, ob er einen oder mehr Meiſter gegen billige Vergleichung gebrauchen wolle. So ſoll auch kein Meiſter einen gefährlichen Schaden, daher Verluſt des Lebens zu beſorgen, annehmen, ſondern vorher eines verſtändigen Medici Rath erholen, und gebrauchen, und da derſelbe befindet, daſs der Schade alſo beſchaffen, daſs ſolcher einem Meiſter alleine nicht zu trauen, ſoll derſelbe auf Gutachten des Medici noch einen zu ſich nehmen.* Imprimis vero ubi periculum curationis ſubeſt, ipſe balneator debet viſere ægros, neque per imperitos ſocios aut tyrones illos tractare. *Gebriſche Bader-Ordnung, art. 5. Auch ſollen zumahl bey gefährlichen Schäden die Meiſter die Patienten ſelbſt verbinden, und nicht unerfahrne Geſellen oder Jungen über ſie gehen, weniger dieſelben lange unverbunden liegen laſſen.*

§. XXII.

## §. XXII.

Tollitur denique V Tribus balneatorum, tum cauſis communibus, quibus collegium interit; tum ſpecialibus, in privilegii articulis expreſſis; & potiſſimum quidem revocatione Principis; Eſſe enim hanc ſuperiorum circa tribus reformandas poteſtatem, declarat Rec. Imp. noviſſimus de anno 1654. §. 106. *Wie nun ſolches &c.* verb. *an des Orths Obrigkeit, als die ohne daſs die Gewalt haben, dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läuffe und Zeiten zu wiederruffen und zu ändern.* Id quod in ſpecie in cauſis balneatorum contra chirurgos Camera Imperiali firmatum, uti patet ex ſententia die 5. Octobr. 1657. lata; ibi: *In Sachen Geſchworner und Meiſter, Barbier-Handwercks der Stadt Nürnberg eines, wieder ſämtl. Bade-Meiſter daſelbſt, andern Theils appellationis, iſt allen Vorbringen nach zu recht erkant, daſs durch Richter voriger inſtanz Krafft Obrigkeitlichen Amts ihre Handwercke nach Gelegenheit, Lauff und Zeiten zu wiederruffen und zu ändern, wohl geurtheilet, übel davon appelliret, derowegen ſolche Urtheil zu confirmiren ſeyn.* Eſt tamen hæc principis poteſtas non indefinita & penitus arbitraria, ſed reſtricta ad conditionem & ſtatum temporum; Unde tribum balneatoriam ſemel publico imperii jure roboratam non facile niſi ex prægnanti ſalutis publicæ cauſa, tollere permittitur, atque in hiſce & ſimilibus caſibus, gravatis remedia juris non denegunda, ſoletque in Camera per mandata inhibitoria jus gravatorum defendi, uti ex hoc capite in cauſa *der Bader* contra *Balbier zu Bremen* 2. Mart. plenarii cum inhibitione proceſſus ſunt decreti.

# Cap. VI.

## DE IIS QVAE EX JVRE PERSONARVM CIRCA BALNEVM NOTANDA.

### SVMMARIA.

*Balneator conſiderari poteſt in certo ſtatu §. 1. Balneator non natura, ſed inſtitutione fit. §. 2. Manumitti olim poterat in tranſitu ad balneum. §. 3. An coloni teneantur operas ruſticas præſtare ad ædificanda balnea domini. §. 4. Quam poteſtatem habeat magiſter opificiarius in tyrones ac ſocios. §. 5. competit magiſtro cura pietatis in ſuos. §. 6. & hi tenentur ad operas. ib. tenetur magiſter ſuis ad alimenta & mercedem. §. 7. an maritus teneatur balneum exſtruere uxori. §. 8. cuſtodes ventri additi fœminam in balneum ſequebantur. ib. balneum quatenus præbeat cauſam divortii. ib. Poſt mortem mariti vidua pergit in opificio. §. 9. balneatores ſunt cives honeſta famæ, ac iisdem juribus ac beneficiis fruuntur, quibus reliqui. §. 10.*

§. I.

Secundum Jus Perſonarum, balneator conſideratur in certo Statu, quem vel a natura habet, vel a lege; & balneatoria quoque opera atque inſtitutio, quatenus ut adjunctum perſonæ, vel ut Collegium conſideratur, perſonam myſticam & moralem ſuſtinet, indeque & juris perſonarum eſt capax. arg. *l. 4. C. d. jur. reip. l. 22. ff. d. fidejuſſ. l. 1. ff. quod cuj. univerſ. nom.*

§. II.

Cæterum habent conditionem quidem ſuam ac Statum balneatores non a natura, cum balneator non naſcatur,

ſcatur, ſed inſtitutione fiat; verum a lege, ſ. impoſitione civili, quæ operam hanc, natura omnibus liberam, pro ordine in rep. ſervando, certis, iisque in diſciplina ſua probatis, demandavit hominibus. Fundamentum tamen ſuum, neceſſitatem atque æſtimationem, tam balneatoria, quam balneatores, a natura omnino deducunt; Eadem enim juris ratio, quæ docuit primo mentis maculas doctrina abſtergere, & expolire ad cultiorem vitam; eadem & ſuaſit, ſordes corporis emundare, & habitum ejusdem ad externum quoddam decorum componere, laborantisque valetudinis vires inventis & datis a natura chirurgiæ ac balneatoriæ remediis refovere. Conf. BACC. *de Therm. L. VII. c. 1.*

## §. III.

Ex altera vero parte, civiliter ſpectati balneatores, ſecundum tria juris perſonarum capita, libertatem, familiam, civitatem, conſiderari poſſunt. arg. *l. ult. ff. d. cap. min.* Circa primum caput, ſc. libertatis, ex legibus notatur; Quod manumitti olim poterat, apud Prætorem, vel Proconſulem, in tranſitu ad balneum, cum lavandi cauſa procederet *l. 7. ff. d. manum. vind.* Ibi GAIVS JCtus; *Non eſt omnino neceſſe pro tribunali manumittere; itaque plerumque in tranſitu ſervi manumitti ſolent, cum aut lavandi aut geſtandi aut ludorum gratia prodiret Prætor, aut Proconſul Legatusve Cæſaris*, quod ex ejusdem GAII ſcriptis in libris βασιλικῶν legitur *l. 49. t. 2.* §. *1.* & per tranſitum ad balneum explicatur, §. 2. *Inſt. d. libert.* quem tranſitum THEOPHILVS in paraphraſi ſua *ad d. §. 2. Inſtit.* pro proceſſu & via ad balneum publicum explicat,

 addit-

additque gloſſa hanc dubitandi rationem ad *d. §. 2. Inſt. tunc enim videbatur non valere, cum præ gaudio cuilibet concederet.* Sed male. Neque enim in manumiſſionibus veterum opus erat cauſæ cognitione, exceptis illis, quæ contra legem Æliam Sentiam in fraudem creditorum, aut a minoribus fiebant, ſed ſufficiebat ſimplex voluntas & declaratio domini manumittentis, coram Prætore, actum auctoritate publica approbante, *pr. & §§. ſeqq. Inſt. qui & ex quib. cauſ. manum.* Quod igitur hæc declaratio & approbatio in ipſo tranſitu ad balneum fieri potuerit, facile patet; nec movet in contrarium gaudium Prætoris, cum affectus iſte tantus non ſit, ut conſenſum excludat aut animi judicium in diſcernenda manumiſſione tollat.

§. IV.

Ad exemplum operarum, quibus liberti olim ſuis patronis devinciebantur, comparatæ ſunt hodiernæ operæ ruſticorum, quas dominis ſuis præſtant coloni, *die Frohndienſte. t. t. ff. d. oper. libert. ibid. interpp.* Harum igitur intuitu quæritur; Cum ſcil. Ordinatio Provinc. Saxon. anno 1555. publicata tit. *von Bauer-Frohnen* ſanciat, ut coloni, ad ædificia dominorum exſtruenda, quæ vulgo vocantur, *die Ritterſitze*, in convehendis lignis & aliis neceſſariis, operas ſuas præſtare teneantur; An & eædem operæ ad balnea domini noviter ædificanda exigi poſſint? Quod negandum videtur; ſunt enim iſtæ operæ ad domum habitationis reſtrictæ, adeoque balnea non continent; deinde hæc operarum præſtatio eſt contra naturalem libertatem, & ſtrictæ interpretationis, adeoque non extendenda, ad alia, præter

ter determinata ædificia *l. 1. & ſeqq. C. ne ruſt. ad ulla obſequ. l. 20. d oper. libert.* Add. SPRENG. *de Jur. ædific. cap. 11.* CARPZ. *Juriſpr. Reſp. Sax. P. II. Conſt. 52. def. 3.*

§. V.

Alterum caput ſc. familiæ quod attinet; Cum familia, ex Politicorum præceptis, rurſus in tres diſtinguatur ſocietates ſimplices, paternam, herilem & conjugalem; diſpiciendum hic venit, quem effectum civilem cauſæ balneariæ ad iſta relatæ nanciſcantur. Et quidem herile olim imperium cum ſummo rigore poteſtatis dominicæ in balneatores ſervos obtinuiſſe, ſupra declaratum, quæque inde jure Romano obligationes reciprocæ enatæ, ex vulgatis conſtat juris principiis, quæ hic ad nauſeam retractanda non ſunt. Hodie in locum poteſtatis iſtius dominicæ ceſſit jus ac imperium diſciplinæ domeſticæ, quod balneator in tyrones ac ſocios *über die Geſellen und Lehr - Jungen* exercet; quæ tamen poteſtas profeſſionem non egreditur, atque ex articulis privilegiorum *aus denen Jnnungs - Brieffen* eſt determinanda; Extra cauſam opificiariam vero ſpectata, ad jus commune refertur.

§. VI.

Ex hac igitur facultate imperii domeſtici competit primario balneatoribus ex officio Chriſtianiſmi, ut nimirum adigant ſuos ad pietatem, modeſtiam, ſobrietatem, ipſisque bono exemplo præeant; ſicuti in hanc cauſam primus ſolet in privilegiis balneatoriis concipi articulus; Vti eſt in confirmat. Privileg. *der Bader in der Gräfl.*

 *Schwartz-*

*Schwartzburg. Gemeinſchafft - Amt Gebren*, *art.* 1. verb. *Zum erſten ſollen alle und iede dieſer Zunfft zugethane Bader ſamt denen ihrigen zuförderſt ein Chriſtl. Gottgefälliges Leben führen, fleiſsig zur Kirche gehen, die ihrigen auch ernſtlich darzu anhalten &c.* Similiter conſtitutum *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordnung, art.* 1. Porro tenentur tyrones ac ſocii ad operas opificiarias diligenter & fideliter expediendas, vitamque ſobriam peragendam. *Gräffl. Schwarzb. Bader-Ordnung, in dem Amt Gehren, art.* 9. *ein ieder Geſelle oder Wochen-Löhner, der bey einem Bader zu arbeiten gedencket, ſoll ſeine Tauffe ſamt dem Vaterlande und Zunahmen von ſich geben, und ſich einſchreiben, in ſeinen Dienſt fleiſsig ſeyn, auſſer des Herrn Geſchäffte ohne Vorbewuſt und Erlaubniſs ſich weder des Tages noch des Nachtes aus dem Hauſe begeben, des Truncks und allen liederlichen Lebens ſich entſchlagen; Dagegen was ihm aufgegeben wird, treu und redlich beobachten, derer Patienten fleiſsig warten, und ſich überall der Gebühr nach verhalten. Fürſtl. Sächſs. Weim. Bader-Ordnung, art.* 15. *Es ſoll kein Geſelle über zehn Uhr des Nachts auſſern Hauſe bleiben, bey Strafe eines Pfundes Wachſes, ſo er aber des Nachts gar aus denſelben verbleiben würde; ſoll er zwey Pfund Wachs zu erlegen ſchuldig ſeyn.*

## §. VII.

E contrario viciſſim obligantur domini iſtis, ut ſocios ac tyrones in profeſſione ac opificio fideliter inſtruant, ac de profectibus illorum ſint ſolliciti; uti eſt *in der Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordnung in den Amt Gehren art.* 5. *in f. Zu welchen Ende auch ſich die Bader anderer Handthierung entſchlagen, und hingegen in guter Wachſam-*

*keit*

*keit ihres Beruffs treulich abwarten, und ſich täglich darinne beſſer gründen, auch ihre Lehrjungen und Geſellen fleiſsig unterweiſen.* Item ut præſtent alimenta & congruam mercedem. Nec non ipſis ægrotantibus neceſſaria remedia ſubminiſtrare debent. *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art. 22. Da Gott der Allmächtige einen Meiſter oder Geſellen mit böſer anfallenden Kranckheit ſtraffte und heimſuchte, und dergleichen Perſonen das Handwerck billich üm Rath und Hülffe erſucheten, ſo ſoll ihnen daſſelbe ſeines Verhaltens genieſſen laſſen, und ihme in ſeiner Kranckheit aus Chriſtl. Liebe, ſeiner beſten Wiſſenſchafft und Vermögen nach, billich und ohne Entgelt an Handgehen. Da aber iemand mit ſeinen böſen unordentlichen Leben und Weſen zu ſeiner Kranckheit muthwillige Urſache gegeben, und deſſen überwieſen wird, ſo ſoll er die Unkoſten, welche auf ſeine Cur gegangen, wieder zu erlegen ſchuldig ſeyn.* Ex eadem pietatis ratione ad ſepulturam magiſtri vel ſocii arca opificiaria aliquid conferre jubetur, *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordnung, art. 25. Da Gott der Allmächtige einen Meiſter, Geſellen oder Mitler, ſo Auflege-Geld geben, mit zeitlichen Todt abgefordert; So ſoll ihme aus der Laden ein Thaler auf bedürffenden Fall zum Begräbnis gegeben werden.*

## §. VIII.

Circa ſocietatem balneatorum conjugalem, ſponſalia, nuptias nihil ſpeciatim in jure diſpoſitum legitur, cum propter ſervilem conditionem, qui olim miniſtrabant in balneis, matrimonium contrahere non poterant, ſed ſaltem, more ſervorum, inibant connubia, nec tamen in his aliquid, præ reliquis, notandum occurrit. Referri tamen huc poteſt quæſtio; An Maritus teneatur, ad balneum

balneum uxori exſtruendum? Quod neg. quia balneum ad alimenta neceſſaria non pertinet, ad hæc enim tantum præſtanda ex jure matrimonii tenetur maritus *l. 14. ff. d. impenſ. in rem. dot.* Ac inde quoque dijudicanda illa quæſtio, an in dotalitio præſtando, viduæ etiam de balineo ſit proſpiciendum, eoque nomine reditus ab hæredibus mariti defuncti conferendi? Neg. quia dotalitium ſuccedit in vicem dotis, quæ tales expenſas non complectitur, *l. 14. ff. d. imp in rem dot. fact.* Et maritus quoque balinea in fundo dotali exſtruens impenſas non repetit, ſed ſaltem tollere poteſt *arg. d. l. 14.* Cuſtodes quoque ventri prægnantis fœminæ ex decreto Prætoris ad inſtantiam illorum, quorum intereſt, dati, fœminam in balneum euntem comitari debebant, illudque introſpicere, eosque, quos ſuſpectos habent, ejicere jubentur *l. 1. §. 10. ff. d. ventr. inſpic.* ut nimirum omnis fraus & occaſio ſupponendi partus alieni evitetur. Denique inter divortii cauſas Jure Romano refertur, ſi uxor balneis virilibus laverit, vel maritus cum fœminis mixta lavacra habuerit. *l. ult. C. d. repud. Nov. 22. c. 16. 17.* Quam quidem a ſe invicem divertendi & repudiandi cauſam utrique conjugum communem fuiſſe arbitror; Verum hodie talis cauſa ad diſſolvendum matrimonium non ſufficit, niſi ſimul etiam de adulterio perpetrato conſtiterit.

§. IX.

Matrimonio morte diſſoluto hodie ex communi opificiorum conſuetudine vidua per miniſtros ſuos poteſt in opificio balneario pergere; de quo *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader - Ordnung, art. 5. Wenn denn ein oder ander*

*ander Meiſter verſtirbet, ſoll deſſen Witbe Macht haben, das Handwerck mit Geſellen fortzuführen, und ihre Nahrung mit ihnen zu ſuchen; Stürbe ſie dann, und verlieſse Söhne, die dieſes Handwercks erfahren, denen ſoll zugelaſſen ſeyn, in des Vaters Werckſtädte einzutreten, iedoch müſſen ſie thun, wie oben ſtehet.* it. *art. 9. Wenn aber ein Meiſter mit Tode abgehen wird, ſo ſoll ein ganzes Handwerck der Wittben beyzuſpringen ſchuldig ſeyn, ſo lange ſie Geſellen zu halten, und das Handwerck treiben zu laſſen beliebet.*

## §. XI.

Ex ſtatu perſonarum civili, ad civitatem relato, duplicem balneatores ſortiuntur reſpectum; alterum recipiunt ex relatione ad ſuum opificium, quatenus conſiderantur ut collegiati & corporati collegii cujusdam publice probati, & eatenus primario ad articulos ſuos ſunt allegati, & his non ſufficientibus ad jus Commune illorum controverſiæ revocantur; Altero modo ſpectantur ut privati & cives, ac membra alicujus ſocietatis, in qua conjunctim cum aliis ſub regimine politico degunt, atque hoc caſu peculiare aliquid præ reliquis regulariter non habent, ſed ad idem obſequium in cauſis tam civilibus quam eccleſiaſticis ſunt obſtricti; uti declarat confirmatio *der Innung und Zunfft der Bader* a Sereniſſ. Principe Friderico Saxo-Goth. *art. 1. & 2.* ibi: *Welcher Meiſter in die Zunfft des Handwercks der Bader ſich begeben will, derſelbe &c. art. 2. auch allen Unſern ansgelaſſenen und publicirten Ordnungen und Anſtalten, ſo viel ihn betrifft, gehorſamlich nachleben, und ſonſt zu iederzeit ſich willig und gehorſam erfinden laſſen.* Ex natura ergo

correlatorum ſicuti legibus tenentur, ita & beneficiis ac juribus communibus fruuntur, quæ reliquis ex jure civico competunt; unde eſt, quod æque honeſtæ conditionis, famæ atque exiſtimationis habeantur, pariter ut cæteri cives, foret enim omnino contra naturam ſocietatis & fidei publicæ, eum, quem civem probamus, cui noſtra corpora curanda committimus, infamiæ velle accuſare; ex quo patet, quam inſulſa ſit contraria perverſæ conſuetudinis, quam ſupra memoravimus, opinio, nec in bene conſtituta rep. toleranda. BESOLD. *de Jure Colleg. cap.* 2. *§.* 2. Opponit quidem BRESL. *d. A M. §. 89.* quem citat TABOR. *de metat. & epidem. Sect. II. cap. 3. art.* 2. *§. 9.* & GREGORIVS THOLOSAN. *Synt. L. 18. c. 26. n. 6.* legem *15. §. 1. ff. d. uſufr.* ex qua inferre volunt, balneatores deterioris conditionis cenſeri, quam hiſtriones. Sed minus recte, ſenſus enim Ulpiani in iſta lege non eſt, ut velit agere de prærogativa hiſtrionis & balneatoris, ſed ut oſtendat, uſufructuarium, cui ſervus hiſtrio in uſumfructum legatus eſt, non poſſe illum ad balneatoriam inſtituere, & habere pro balneatore, non ex ea ratione, quaſi balneator ſit vilioris conditionis, eſt enim in ſervis non ordinis prærogativa apud antiquos, ſed ſaltem miniſteriorum quædam differentia; *§. ult. Inſt. d. Jur. perſ.* CIC. *Parad. V. c.* 2. verum genuina ratio, uti id ipſe JCtus præmonet, eſt hæc, quod uſufructuarius, legato mancipiorum uſufructu, non poſſit aliter uti, niſi ſecundum conditionem & qualitatem illam, qua habuit teſtator, inque qua ab hærede accepit.

CAP.

# Cap. VII.

## DE JVRIBVS IN RE CIRCA BALNEVM.

### *SVMMARIA.*

*Balnea ſunt in dominio §. 1. Jus ſuperficiei & emphyteuſeos an locum habeat in balneis. §. 2. feudum an cadat in balnea. §. 3. uſusfructus & uſus balnei quid contineat. §. 4. 5. habitatio ſuper balnea. § 6. ſervitutes balnei reales, in ſpecie, jus aquæ caducæ ducendæ. §. 7. jus immittendi fumum ex cuniculo balnei. §. 8. balneum poteſt per ſucceſſionem ad alium deferri. §. 9. balnei legatum eſt individuum §. 10. modi legandi balneum §. 11. 12. domo legata an balneum junctum contineatur. §. 13. balneum pro anima an valeat. ib. fideicommiſſum balnei ib. Balnea, quatenus pignus recipiant. §. 14. poſſeſſio balnei §. 15.*

§. I.

Balnea eſſe in dominio, facile inde patet, quod ſint res finitæ, in uſum humanum comparatæ, atque in commercio verſentur Vid. GROT. *d. J. B. & P. L. II. cap.* 2. Modi autem acquirendi dominium in balnea, ſunt vel vel originarii ſc. ex acceſſione, quatenus quis balneum in area ſua vel aliena ædificat. *l. 50. ff. ad leg. aquil. l. 5. C. d. ædif. priv.* vel derivativi, quando quis per legitimam traditionem veram vel fictam, ut in emtionibus, permutationibus &c. *l. 3. C. Th. d. collat. donat.* aut ex legis traditione vel quaſi ipſo jure ex cauſa ſuitatis, legati, aditionis &c. dominium balnei conſequitur. *l. 13. §. 8. ff. d. uſufr. l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.*

§. II.

Jus ſuperficiei recte ad balnea transferri, darique domino fundi poteſtatem, jus imponendi balneum alteri ſub certo ſolario concedere, exemplo eſt *l. 19. C. d. oper. publ.* In emphyteuſin vero balnea recte concedi, dubium eſt exinde, quod proprie in emphyteuſin dari poſſint prædia, quæ ſationem, culturam ac meliorationem recipiunt, fructusque naturales proferunt. *Nov. 7. cap. 3. §. 2. auth. ſi quas C. d. SS. Eccleſ. l. 15. §. 26. ff. d. damn. inf.* Verum cum a prima iſta emphyteuſeos notatione poſtea fuerit diſceſſum, ita, ut non ſolum agri, fundique fructuum colendorum cauſa inſtituti, fuerint conceſſi, ſed etiam alia prædia tam urbana quam ruſtica, dd. txx. FRANTZ. *de laudem c. 9. n. 28. & ſeqq.* ideo non dubitamus, quin & balnea in emphyteuſin recte recipiantur, cum habeantur prædia urbana, & fructus ac reditus civiles capiant. *l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.*

§. III.

In feudum dari poſſe tum ipſum balneum, tum balneatoriam ſub nexu feudali recte concedi, lubens concedo; nec adverſatur qualitas ſervitiorum feudalium, quæ licet ordinaria ſint promiſſa, recte etiam a balneatore exhiberi poſſunt, vel per ſubſtitutum expediri D. Par. *Synt. feud. cap. 11. §. 6.* Multo magis valet, ſi per pactum ſervitia extraordinaria fuerint adjecta, v. g. ut loco ſervitiorum dominum lavet, vel milites curet &c. quæ quidem licet feudum faciant improprium, D. Parens *Synt. feud. cap. 4. §. 16.* tamen cum naturalia ſaltem feudi immutent, eſſentiam ejus & jura non tollunt. In-

duit

duit dein balneum naturam feudi, ſi in ſolo feudali fuerit exſtructum, tale enim exſtruendi jus vaſallo recte competere, declarat natura utilis dominii, quo conceſſam feudi ſubſtantiam tractare pro arbitrio, certo tamen modo dependenti, atque ad uſum ac commoditatem ſuam aptare poteſt. *II. f. 8. &c. 23. & 128. in f.* ROSENTHAL. *cap. 8. Concl. 2. n. 1. & ſeqq.* Cæterum qu. an æſtimatio fundi feudalis augeatur per balneum ibidem exſtructum? Negandum videtur ex *l. 14. ff. d. impenſ. in rem. dot. fact.* Verum reſpondetur; diſtinguendo, aut balneum privatum ædificatur; aut publicum ſc. conceſſione legitime impetrata. Priori caſu attendenda eſt conſuetudo loci, ubi balneum ædificatur, in quo ſi moris ſit, ut balnea exſtrui ſoleant, tunc impenſæ non ultra modum factæ reputantur pro utilibus, & inter utiles fundi meliorationes a ſucceſſoribus feudalibus, vel hæredibus allodialibus ſunt reſtituendi arg. *l. 2. C. d. jur. emphyt. II. f. 28.* D. Par. *Synt. feud. cap. 15. §. 16.*. Sin vero moris non ſit, pro utiliter impenſis haberi non poſſunt, nec excuſat dignitas ac qualitas poſſeſſoris feudi, balneum pro commoditate, ſua perſona forte non indigna, exſtruentis, quia hoc eſt perſonale quid, quod feudo non inhæret; atque per tranſlationem feudi in alium extinguitur, unde, cum in æſtimatione fundi meliorati ſpectetur res & tempus reſtitutionis, tales impenſæ in meliorationem feudi imputari non poſſunt. Poſteriori caſu quando publicum balneum condit vaſallus, dubium non eſt, quin illius fructus ac reditus ad æſtimationem fundi augendam accedant, ac inter meliorationes fundi feudalis ſint collocandi. Denique

in ſpecie de Jure Saxonico qu. an balneum in fundo feudali extructum, cum aliis ædificiis ſine impenſarum refuſione cedat ſucceſſoribus feudi? ſecundum textum Landrecht *II. art. 21.* Conſt. Elect. *p. 3. C. 31.* ib. CARPZOV. *def.* 2. D. Par. *Synt. feud. cap. 15. §. 16. n. 4.* Quod affirmandum cenſeo ob generalitatem textus, & quod balnea ſub ædificiis contineantur. Sin tamen balneum publicum fuerit fabricatum, tunc quidem impenſæ, in fabricam balnei factæ, cedunt ædificio & feudo; At, quod pro privilegio exercendi balneum publicum legitime datum, illud omnino reſtituendum fore exiſtimo, cum ipſum jus ædibus inhærens, & ædificium, ſi accurate ſpectemus, invicem ſint diſtincta, & hinc ab hoc ad illud non valeat ubique argumentatio, maxime cum hæc Conſtitutio Electoralis, tanquam juri communi contraria, ſit ſtrictæ interpretationis, nec producenda ad conſequentias.

§. IV.

Uſumfructum in balneo efficaciter conſtitui, clarum eſt, quia uſus ejus ſine abuſu eſſe poteſt. Conſtituitur autem uſusfr. balnei vel actibus inter vivos, per conceſſiones vel lucrativas vel oneroſas, privata aut publica auctoritate datas, *arg. l. 30. §. 1. ff. loc.* vel ultima voluntate, aut per teſtamentum rite & legitime conditum, aut per codicillos perfectos vel teſtamento confirmatos, idque ſeu ex titulo univerſali hæreditatis ac fideicommiſſi, ſeu ex titulo particulari, legati &c. uti exempla ſunt in *l. 13. §. 8. d. uſufr. l. 12. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* Debet autem uſufructuarius

con-

conceſſo balneo uti, pro natura ac conditione balnei, ac conſuetudine regionis, in qua balneum eſt extructum *arg. l. 51. §. 1. ff. d. uſufr.* nec contra deſtinationem patrisfam. concedentis, privatum in publicum vertere *l. 13. §. 8. d. uſufr.* De publico tamen æque ac privato, quod jam exiſtit, fructus civiles ac penſiones cum lavandi commoditate recte percipit; impenſas vero in balneum faciendas ipſe fert, quatenus fructus non excedunt, *arg. l. 7. §. 2. 3. ff. d. uſufr.* Sed hic quæritur, an legato balnei uſufr. idem privative an cumulative legatus cenſeatur, ita ut hæres ſimul uti eodem poſſit? Reſp. Neg.; ſufficit enim hæredi proprietas & ſpes conſolidationis. Cum enim legatum tribuat dominium uſufructuario *l. 4. ff. d. uſufr.* dominii autem ea ſit natura, ut jus in rem domino plene cum excluſione tertii vindicet, utique & hoc caſu dominium cum effectu eſt intelligendum, & uſus balnei plenarius ſoli uſufr adjudicandus.

§. V.

Conceditur balnei uſus eodem modo, quo uſusfructus; Et quidem uſus balnei privati legatus, eſt perſonalis, neque perſonam uſuarii egreditur; ex æqua tamen legis interpretatione uxor quoque ac liberi continentur. *arg. l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.* Quod ſi uſus balnei pluribus ſit relictus, ſingulis competit in ſolidum, eſt enim balnei uſus individuus *l. 5. §. f. ff. commod.* Verum in concurſu præfertur ille, qui prior lavandi ſtationes occupavit; quia in pari cauſa occupantis conditio melior. Cæterum uſus balnei publici legatus non aliud jus dat, quam facultatem lavandi ſine mercede; cum enim

enim legatarius hoc caſu balnei publici adeundi poteſtatem jam habeat ante legatum, ex jure communi, igitur, ut legatum cum effectu habeatur relictum, utique eo merces ſ. balneaticum remiſſum eſſe intelligitur. Differt autem ab uſu balnei publici legato, legatum balnei privati ad uſum publicum; in hoc enim præbitionis publicæ onus per modum ſervitutis realis balneo videtur a teſtatore impoſitum, *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* nec ſpecifice pro legato uſus reputandum. Durat denique uſusfructus ac uſus balnei, quamdiu illud in eodem ſtatu permanſerit, re vero aut perſona penitus mutata aut conſumta, & uſusfructus & uſus perimitur. Unde *ſi cui balinei uſusfr. vel uſus legatus ſit, & teſtator habitationem hoc fecerit*, expirare legatum VLPIANVS decidit *l. 12. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Nec refecto balneo reviviſcit. arg. *l. 5. §. ult. ff. quib. mod. uſusfr.* FORCATVL. *d. ſervit. cap. 2. n. 13. 14.*

## §. VI.

Habitatio quidem proprie ad balnea non ſpectat, cum non habitandi, ſed lavandi cauſa ſint inſtituta; attamen monet nos hic locus mentionem injicere de antiqua Romanorum conſuetudine, qua balnea in inferiore parte exſtruebant, & his dein ſuperædificabant alios ædificiorum ordines, de quo more refert Severi & Antonini reſcriptum in *l. 1. C. d. ædif. priv.* ibi. *balneum, ut deſideras, exſtruere, & ædificium ei ſuperponere potes, obſervata tamen forma, qua cæteris ſuper balneum ædificare permittitur, id eſt, ut concameratis ſuperinſtruas, & ipſum concameres, nec modum uſitatum altitudinis excedas.* De

eodem

eodem refert SEN. *ep. 56. pr.* inquiens: *Super ipſum balneum habito.* Neque hoc de privatis tantum ædificiis capio, ſed potiſſimum de balneis publicis, cum de eo referatur ad principem, quod alias fuiſſet non neceſſe. Suſtulit hunc morem privata ædificia publicis ædibus ſuperſtruendi Arcadius cum Honorio Impp. *l. 9. C. d. ædif. priv. l. 46. C. Th. d. oper. publ.* Poſtea tamen idem Honorius & Theodoſius jun. hanc ſuperædificandi licentiam rurſus conceſſit, inſtitutis Thermis Honorianis in ſolo privato, cujus intercepta poſſeſſoribus lucra ut compenſarentur, pro loco, quem quisque poſſederat, atque thermis contulerat, cuique pro menſura ſuæ terræ, ſuperſtruendi poteſtas data *l. 50. C. Th. d. oper. publ.* Dein inter ipſas balneorum publicorum porticus exſtruebantur domus ac officinæ, præſtito certo annuatim ſolario; quarum mentionem facit *l. 19. C. d. oper. publ. l. 52. C. Th. eod.* illarum autem latitudinem, ſpatium atque altitudinem definit Zeno Imp. *in l. 12. §. 6 C. d. ædif. priv.* ut nimirum in medio columnarum, quarum multæ ex ordine collocatæ in publicis balneorum porticibus erant. *l. 50. pr. C. Th. d. oper. publ.* exſtruerentur, quo per quatuor columnarum ordines relinquatur a porticibus ad plateas liberum iter; ipſa præterea ædificia non excedere debebant in latitudine pedes ſex, comprehenſis etiam parietibus verſus plateam; in altitudine vero pedes ſeptem. Decorari quoque debebant hujusmodi tabernacula exterius marmore, ut civitati eſſent decori & tranſeuntibus voluptati *d. l. 12. §. 6. C. d. ædif. priv.* Ædificabantur porro officinæ iſtæ, aliæ in planitie porticuum; aliæ ut ipſis porticibus incumberent ſuper medias

 dias

dias columnarum officinas; & iſti quidem ſuum perſolvebant ſolarium; hi autem in reſtaurationem ac refectionem columnarum ac porticuum ratam ſuam conferre debebant; uti refert HARMENOP. *Prompt. Syn. L. II. t. 4. rubr. de reſtaurandis publicis porticibus, quibus privatæ ædes incumbunt aut adjacent.*

§. VII.

Inter ſervitutes reales recenſetur (1) jus aquæ ad balnea ducendæ ex caſtellis publicis, quod jus per modum privilegii a principe dabatur, & nominatim ſervitus dicitur *l. 6. pr. C. d. aquæd.* Quod autem hoc jus recte ſervitus dicatur, & inde habeatur jure ſervitutis, declarat cauſa, quam ad ſervitutem habet perpetuam, etenim caſtella illa, ex quibus aqua ducebatur, continebant aquam vivam & perennem, undique e fontibus ac fluminibus corrivatam, & quanquam ſuperflua tantum aqua ex caſtello abundans ad balneorum uſum daretur, tamen eadem perpetuo ſemper ſubnaſcebatur, & recenter ex capite abundabat. Vid. *l. 28. ff. d. S. U. P.* CVIAC. *ad d. l. 28.* COEPOLL. *d. S. U. P. c. 49.* FORCATVL. *de Servit. cap. 2. n. 26, 27.*

§. VIII.

(2) Jus immittendi fumum in alienum ex cuniculis balinei vaporariis *l. 38. §. 7. ff. ſi ſerv. vind.* Fumum quidem in meo facere non prohibeor, at fumum immittere in alienum non poſſum, citra ſpeciale ſervitutis jus *d. §. 6. 7.* Sicuti enim alteri liberum cœli proſpectum protegendo auferre non debeo, ita quoque nec fumum immittendo, qualis perpetuo ex officina balnearia evomitur

mitur, aërem ipſi corrumpere atque aſpectum turbare debeo. Eſt autem cuniculus balnei vaporarius, per quem fumus ex hypocauſto fornacis exhalans trahitur in aërem. PLIN. *hiſt. nat. L. 9. c. 38. ac modico vapore torreri, & ideo longinquæ fornacis cuniculo.* Canales fuliginoſos nominat, talesque adhuc in Viminali Romæ in balneis Novati ſupereſſe teſtatur FABRIC. *deſcript. Rom. c. 16.* Dicitur ita ad exemplum cuniculorum, per quos aqua ducitur, de quibus *l. 26. ff. d. damn. inf. l. 6. C. d. metall.* unde & gloſſa ad *l. 3. §. 6. ff. d. riv.* cuniculum vertit, per quem aqua calida immittitur, vel in quo congeritur, ut inde deducatur, & vaporem proinde vertit pro aqua calida; ſed minus recte, uti ſupra declaratum. Nimirum duplices vapores in balneis leguntur, alter eſt fumus inutilis, qui per cuniculum evolabat, de quo *d. l. 8. §. 7.* alter eſt vapor calidus ſ. ipſe calor, qui in tubis fornacatiis ad diætas cellarum balneares diffundebatur; de quo *l. 3. §. 6. ff. d. riv.* Nec autem mirum cui eſſe debet, quod de immiſſo hic, in alienum fumo dicitur, cum ſi hodiernam ædificiorum ſtructuram intueamur, fumaria ſint in ipſis tectis poſita, & ita fumus extractus ſurſum ſcandat, ſuper altitudinem fundi mei, & non facile niſi vento impulſus vicino noceat; etenim hoc ex antiqua balneorum ſtructura eſt interpretandum, antiquis enim familiare fuit, ſuper balnea ædes ponere *l. 1. C. d. ædif. priv.* facile igitur contingere potuit, ut ſupra habitantes fumus evaporans gravaret, aut in vicini aream cum noxia evagatus fuerit, unde ſpeciali ſervitutis remedio opus erat ad liberum fumi exitum; Hodie mutata ædificiorum forma id rarius

 ob-

obtingit, ita tamen accidere poteſt, quando commoditatis cauſa balneator vellet fumarium in meam aream projicere, aut alio modo fumo onerare. CAEPOLL. *d. S. U. P. c. 31. n. 3.*

§. IX.

Balneatores ac collegium balneatorum valide poſſe hæredes inſtitui declarat lex. *8. ff. d. hæred. inſtit.* quia eſt collegium licitum. Nec inſtitutus balneator a fratre præterito querela inofficioſi poteſt repelli, quum ceſſet ratio infamiæ, quam circa balneatores publica imperii ſanctio extinxit. Nec minus totum balneum per ſucceſſionem, vel teſtatam vel inteſtatam, ex titulo, tum univerſali, tum particulari ad novum ſucceſſorem poteſt deferri. Et balneum quidem publicum ſemper in matrimonio civitatis atque ſucceſſione magiſtratus ſeu corporis ac collegii perſiſtit; quum perſonis individuis licet mutatis, corpus tamen ſemper idem maneat. Balneum vero privatum ad hæredem aut legatarium devenit, quem vel lex deſignavit, vel ultima teſtatoris voluntas. Atque in ſucceſſione quidem inteſtata ſecundum jus ac ſtatuta rei ſitæ atque ad hæredem rerum immobilium devolvitur, quia inter res immobiles refertur. *l. 22. pr. C. d. adminiſtr. tut.* in immobilibus autem jus ac ſtatuta fundi ſequimur. Ex teſtato vero in balnei dominium, jura ac facultatem lavandi ſuccedunt hæredes teſtamentarii vel legatarii, & quidem vel unus vel plures pro teſtatoris arbitrio; ſicuti & univerſis civitatibus ac municipibus balineum legari poſſe, tradit SCAEVOLA JCtus *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* & proſtat in antiquitate exemplum Agrippæ, qui ther-

mas

mas nominis ſui, prope Pantheon excitatas, moriens legavit populo, ut gratis ibidem lavarentur. teſte DION. *L.53.* DONAT. *d. Vrb. L. III. c. 18.*

§. X.

Relictum balnei legatum aut facta inſtitutio cenſetur individua, & ſingulis hæredibus vel legatariis tam quoad commoda, quam quoad onera in ſolidum competit. *l.5. §.f. ff. commod.* balneum enim non intelligitur niſi totum, nec deſtrui per partes poteſt, ne civitatis aſpectus ruinis deſormetur. Conſtituit autem teſtator vel hoc modo, ut pluribus inſtitutis relinquat balneum; ac quoad dominium & uſum ſingulis in ſolidum competit, qui tamen in concurſu æſtimationis ac uſus ſucceſſivi ratas partium faciunt. Vel hoc modo, ut damnet hæredes quo balneum vel noviter aliis v. g. municipibus exſtruant vel exſtructum præbeant; & tunc quoad illos, qui lavandi jus ex teſtamento habent conceſſum, ſinguli hæredes tenentur in ſolidum, ita, ut uno vel altero licet deficiente, tamen qui ſupereſt teſtat voluntatis ſucceſſor integrum balneum & integram præbitionem præſtare teneatur; uti eleganter reſpondet GAIVS JCtus *l. 80. §. 1. ff. ad leg. falcid.* his verbis: *Sed & ſi opus municipibus hæres facere juſſus eſt, individuum videtur legatum; neque enim ullum balineum, aut ullum theatrum, aut ſtadium feciſſe intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex conſummatione contingit, non dederit. Quorum omnium legatorum nomine, etſi plures hæredes ſint, ſinguli in ſolidum tenentur; hæc itaque legata, quæ dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent.* Ipſi tamen onerati inter ſe

 pro

pro rata portionum, quas ex hæreditate ceperunt, in partes diſcedunt, & pro rata ad impenſas præbendi balnei contribuunt. Add. *l. 11. §. 23. ff. d. leg. 3.*

§. XI.

Datur præterea teſtamento balneum vel ita, ut tota proprietas ſimul cum uſufructu, ſeu plenum dominium ad hæredem vel legatarium pertineat, quo caſu hæres, præſtito balneo, ab ulteriori obligatione liberatur, & res tranſit in matrimonium, curam ac impenſam ſui domini. Vel ita, ut ſalva hæredi proprietate, eidem neceſſitas imponatur, balneum vel privatim alicui præbendi, quo caſu in uſumfructum vel uſum privatum incidit; Vel jubetur publice hæreditario ſumtu omnibus præbere civibus, hoſpitibus &c. quo caſu ſubſtantia quidem ipſa manet penes hæredem, aſt uſus balnei fit publicus, atque onus publice præbendi, cum balneo tanquam jus reale connectitur, ac cum re ad quemvis poſſeſſorem ſeu univerſalem ſeu ſingularem deambulat, qui caſus eſt *l. 35. §. 3. ff. d. leg. 3.* Eſt proinde impoſita hæc ad præbendum publice balneum obligatio perpetua ac realis, nec poteſt gravatus hæres ſine præſcitu ſuperioris ac prævia cauſæ urgentis cognitione onus hoc in aliam rem transferre, partim propter ſanctimoniam ultimæ voluntatis, partim quia res ſemel ad uſus publicos dedicata, naturam publici juris induit, & inde privato arbitrio hactenus exempta, ſub diſpenſationem magiſtratus civilis pervenit. Complectitur autem hæc obligatio omnes ſumtus, *non ſolum eos, qui ad calefactionis atque præbitionis onus pertinent, ſed de his quoque*

ſenſiſſe

*ſenſiſſe teſtator cenſetur, qui ad quotidianam balnei tutelam ac refectionem ſpectant, quibus balineæ aut inſtruuntur, aut inter ſolitas ceſſationum vices parari purgarique, ut habiles ad lavandum fierent, ſint ſolitæ*, uti SCAEVOLA decidit in *d. l.35. §.3. ff. d. leg.3.* Deſinit tamen hæc obligatio re peremta; neque enim in infinitum extendenda, quod foret abſurdum, & contra naturam proprietatis, quæ alias redderetur inutilis. *arg. l.14. C. d. uſufr.* nec ædificio balnei publicitus reſtituto reviviſcit, niſi ſpecialiter teſtator in hunc caſum providerit, aut indefinite, non certum balneum præbendum nominaverit; tunc enim quaſi generis videtur obligatio, & hinc reſtituta re, rurſus effectum ſuum exſerit, imo & ipſe hæres ad reſtituendum compellitur. Facta vero ejusmodi indefinita obligatio in dubio non præſumitur, ne nimis gravetur hæres.

§. XII.

Deinde relinquitur balneum vel ſimpliciter, & datur vel teſtatoris, vel pro regionis more congruum, ſimul tamen cum inſtructu, vel præſenti, vel ad uſum neceſſarium ſufficienti, eſt enim hic acceſſorium atque individuus. *arg. l.80. §. 1. ff. ad leg. falcid. l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct.* Vel legatur balneum inſtructum ſeu cum inſtructu, & ſi certum definitum non ſit, debetur pleniſſimum, pro conditione ac more perſonæ & civitatis, in qua teſtator domicilium habuit; aut ſi ibi non frequentetur, reſpiciendum ad locum legatarii, huic enim benefacere voluiſſe teſtator præſumitur. *arg. l. 18. §. 1. & §. 3. d. inſtruct.* Cæterum continet inſtructum hoc balneum

neum non ſolum omnia inſtrumenta ac miniſteria lavatoria, ſed etiam veſtem balnearem, qua uti in balneis conſueverunt. *arg. l. 12. §. 43. ff. d. inſtr. vel. inſtrum. leg.*

## §. XIII.

Domo legata balneum privatum ædibus junctum continetur. *arg. l. 13. §. 8. ff. d. uſufr. l. 12. ff. quib. mod. uſusfr. am.* Quod ſi teſtator balneas in domo publice præbuerit, ad hoc, ut legaſſe ſimul cum domo cenſeatur, quatuor concurrere debent; (1.) ut aditus intrinſecus ex domo in balnea pateat, & uno contextu fuerint juncta. (2.) ut in uſu teſtatoris ac uxoris quodammodo fuerint. (3.) ut reditus & penſiones balnei domeſticis rationum tabulis fuerint illatæ. (4.) ut uno pretio fuerint comparata, aut uno inſtructu utantur, quæ requiſita recenſentur in *l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.* & quatuor has cauſas conjunctim requirit Cujac. *ad. d. l. 91.* verum tamen & alias adhuc admitti poſſe voluntatis conjecturas, & unam aut duas, expoſitis iſtis circumſtantiis, poſſe ſufficere arbitror. Annectenda hic eſt quæſtio, an, ſi pontificiæ relligionis homo pium pro anima balneum inſtituat, v. g. ut hæres vel legatarius ſingulis annis certo die pauperibus pedes lavet, in meritum, pro teſtatoris anima; modus ille adjectus valeat & ſcriptum hæredem vel legatarium Lutheranum obliget? Decidit hanc quæſtionem B. Lutherus, conſultus in notabili caſu a Joh. Minckvvitio Electoris Sax. Conſiliario; ut extat reſponſum in epiſtolis Lutheri ad Menckvvitium; quarum litterarum tenorem refert SECKENDORF. in hiſtor. Lutheraniſmi *Lib. I. Sect. 57. §. 107. in addit. litt. b.* ſc.

Pater

Pater hujus Minckvvitzii pontificius, inter alia teſtamenti capitula diſpoſuerat, ut ſtato anni tempore, ſc. *den grünen Donnerſtag* pedes pauperibus lavarentur. De hac igitur pedum lotione conſulit Minckvvitzius filius, Lutherum, an illam ſervare debeat; ad quem illum ita reſpondiſſe refert SECKENDORF. l. c. *De pedum lotione, quæ eodem teſtamento cauta erat, & vocabatur animæ lavacrum; ein Seel-Bad, negat quidem eo nomine celebrari debere, ſed ad memoriam lotionis a Chriſto peractæ & in honorem tam pii balneatoris exerceri poſſe.* Ex quo cognoſcitur, quod tales teſtationes hactenus valeant, quatenus, dempta ſuperſtitione, ad pium uſum non ſuperſtitioſum transferri & applicari poſſunt. Fideicommiſſo quoque tam univerſali quam particulari balneum vel nudum vel conjunctum ædibus relinqui poſſe, demonſtrat caſus *Nov. 159. pr.*

## §. XIV.

Pignoris cauſam recte in balnea cadere, facile liquet. Circa inſtructum autem balnei diſtinguendum arbitror, aut in ſpecie balneum, ut officina balneatoria eſt pignoris nexu data, & extra dubium etiam inſtructus pignoris loco cedit, quia ſine eo balneum non intelligitur. *l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct.* aut domus, in qua ædificatum eſt balneum, ſimpliciter obligatur, & tunc ipſum quidem conclave, balneandi uſui inſerviens, tanquam pars domus obligatæ, pignoris jus recipit; verum ipſe inſtructus balnei, quum neceſſariam cum ædificio habitationis connexionem non habeat, ſed ſpecialis & ſeparati ab habitatione ſit uſus, utique ſub pignore in domum conſtituto non continebitur. Atque hæc ita ob-

tinent circa balneum privatum. At in balneo publico non permittendum eſſe cenſeo balneatori, ut ſine præſcitu magiſtratus municipalis, ad quem cura operum & curationis publicæ pertinet, illud aut inſtructum ejus oppignorare poſſit; Cæterum non dubito, inſtructum conductoris balneo illatum pignoris taciti loco haberi pro mercede ſ. penſione; quia balneum propter uſum ſuum refertur inter prædia urbana, illata autem atque invecta in prædium urbanum notiſſimo jure domino pro penſione tacite obligantur *l. 4. l. 7. ff. in quib. cauſ. pign. tac. contr.* In executione tamen atque immiſſione ex cauſa pignoris in balneum facienda, ſervanda eſt moderatio D. Pii in *l. 15. ff. d. re judic.* ita, ut ultimo demum loco in inſtrumenta atque inſtructum balneatorum fiat executio, ſi ſc. ex aliis bonis creditori ſatisfieri nequeat. Denique & pignus expreſſum ac conventionale pro mercede balnei ſolvenda poſſe accipi, caſum tradit in terminis AFRICANVS *l. 9. ff. qu. pot. in pign.*

§. XV.

Supereſt balnei poſſeſſio, quæ duplex; Vera, prout capitur pro poſſeſſione ipſius ædificii balnearis *l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.* vel quaſi, quatenus ſc. jura balneatoria exercentur *l. 8. §. 5. ff. ſi ſerv. vind.* Exercetur ſ. retinetur iſta poſſeſſio per lavationem, atque exercitium jurium inde dependentium. *l. 13. §. 8. ff. de uſufr.* Probatur vel plene, vel ſemiplene atque per conjecturas & præſumtiones, v. g. ſi inſtrumenta balneatoria in loco reperta, per hæc enim exercetur poſſeſſio *l. 12. pr. ff. d. inſtruct. vel inſtrum.* Danturque interdicta poſſeſſoria pro poſſeſſione balnei tuenda, *l. 13. §. 7. ff. d. injur.* & ſicuti in reliquis

reliquis cauſis poſſeſſoriis, ordinario proceſſu tractari ſolitis antiquior poſſeſſio præfertur noviori, ita quoque circa thermas prior poſſeſſor potius jus habet, præ poſteriori, qui caſus in terminis ut vocant, deciditur ab INNOCENTIO III. *cap. 24. X. d. Elect.*

## CAP. VIII.

## DE PACTIS, CONVENTIONIBVS, AC CONTRACTIBVS BALNEANTIVM ET CIRCA BALNEVM.

### SVMMARIA.

*Balneatorum pacta licita & illicita. §. 1. creditum balnei. §. 2. commodatum, depoſitum, ſocietas quatenus locum habeat circa balneum. §. 3. balnea an vendi poſſint. §. 4. locatio balneorum. §. 5. 6. locationes particulares circa operam balneariam. §. 7. balneaticum & merces balneorum. §. 8. actiones ex contractu locationis circa balneum. §. 9. quaſi contractus qui in cauſas balnei incidant. §. 10.*

### §. I.

Balneatores de rebus profeſſionem ſuam ſpectantibus certa ac valida inter ſe inire pacta poſſe, nullum eſt dubium arg. *l. fin. ff. d. colleg. & corpor.* Parens b. m. *Exerc. 48. §. 112.* CARPZ. *I. Reſp. 48. n. 1. ſqq.* Speciali tamen ZENONIS Imp. reſcripto balneatores pacta inter ſe componere prohibentur, quæ ſpeciem monopolii ſapiunt; ſcilicet; *Vt ne quis, quod alteri commiſſum ſit opus, impleat, aut injunctam alteri ſollicitudinem, curationem &c. alter intercipiat, l. un. C. d. monopol. & convent. negotiat.* MOLIN. *P. II. d. J. & J. diſp. 345.* FRITSCH. *d. monopol. c. 3. n. 33.*

 Talia

Talia enim pacta ſunt ipſo iure nulla, iisque non obſtantibus datur licentia unicuique inchoatam & neglectam vel derelictam ab altero operam ſuſcipere, atque perficere. *l. ult. pr. ff. d. colleg. illic.* FABER *ad l. 27. ff. de Reg. Jur.* MOLLER. *Semeſtr. II. c. 15.* Quod et publica imperii ſanctione confirmatum *Reformat. guter Policey zu Augſp. 1548. tit. von den gemeinen Handwercken.* LIMN. *J. P. L. IV. c. 8. n. 299.* Deinde non valent pacta opificum, ut balneatores aut eorum liberi in collegium non recipiantur. LIMN. *de J. P. L. IV. c. 8. n. 299.* BESOLD. *de Jur. Colleg. c. 2. §. 2.* & ita quoque in Civitate Lubecenſi obſervari teſtantur litteræ ejusdem Senatus ad Senatum Brunſuicenſem datæ, quas adducit RICHT. *dec. 80. n. 11.*

§. II.

Balneum omnes ſubit contractus, qui naturæ illius non repugnant. Et licet proprie mutuum in ædificiis non conſtituatur, utpote quod in rebus conſiſtit, quæ pondere, numero & menſura conſtant: *l. 1. §. 2. ff. d. O. & A.* attamen, quatenus in cauſam ac rem balnei pecunia data aut verſa eſt, eatenus recte creditum balnei eſt dicendum, quia tunc ex ipſa re debitor ac poſſeſſor obligatur *l. 46. ff. d. O. & A.* Verum non omne creditum, balneatori datum, dicendum eſt balnei, ſed illud ſaltem, quod in cauſam balnearem eſt contractum; unde quoque in concurſu creditorum & ſortitione ſ. claſſificatione facienda, omnino ſegregandi ſunt creditores, qui balneatori ut civi crediderunt, ab illis, qui eidem ſpecialiter ut balneatori in cauſam ac ædificium balnei pecuniam dederunt. Poſteriores enim in balnearibus poſſeſſionibus;

bus; priores, in aliis civilibus facultatibus præferentur. Cæterum ſolet & articulis Tribus provideri, ut urgente neceſſitate, balneatori ex arca communi aliquid ſubminiſtretur, quo ita facilius ſuſtineatur, *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art. 26. So irgend ein Meiſter zu ſeiner Nahrung und Unterhalt etwas von Gelde bedürftig wäre, ſoll ihm ſolches nach Vermögen der Laden, auf vorhergegangene gnugſame Caution und Bürgſchaft, dargeliehen werden. Da auch iemand durch Feuersbrunſt verdürbe, ſoll ihm nach Vermögen der Laden eine Beyſteuer, und daraus geholffen werden.*

§. III.

Species commodati ſe profert in balneis gratuitis, quæ gratis absque mercede præbentur *l. 60. §. 2. ff. loc. l. 30. ff. eod.* de quibus ſupra. Depoſiti cauſam proprie balnea non recipiunt, quum cura illorum non in nuda cuſtodia, ſed in uſu atque in adminiſtratione verſetur. Circa res tamen mobiles balneo illatas, quandoque inter balneatorem & hoſpites depoſiti contractum intervenire poſſe, aſſerit VLPIANVS *l. 1. §. 8. ff. depoſ.* caſum ibi refert talem, ſi loturus veſtimenta ſua balneatori ſine mercede ſervanda tradidiſſet, veſtimentis deperditis, balneator judicio depoſiti tenetur, & dolum duntaxat ac huic conjunctam in cauſis civilibus latam culpam præſtare debet. Satisdationem recte fieri in cauſis balnei declarat *l. 58. §. 12. ff. locat.* ubi Labeo decidit, non prius locatorem teneri conductori pecuniam ad reficiendum balneum ſolvere, quam conductor ſatisdederit, de nummis in refectionem impendendis; eſt enim hoc pluribus cauſis commune, ut debitor cautionem de modo implendo præſtare cogatur. *l. 40. §. 5. ff. d. condit. & demonſtrat.* Species

mandati circa cauſam balnearem exhibetur in *l. 16. ff. mand.* ubi quidam Aurelius Quietus hoſpiti ſuo medico mandaſſe perhibetur, ut in hortis ſuis, quos Ravennæ habebat, in quos omnibus annis ſecedere ſolebat, ſphæriſterium & hypocauſtum, quæ ſunt loca balnei propria, ut ſupra docuimus, ſua impenſa faceret. Nec ſocietatis naturæ balneum adverſatur, poteſt enim ſocios, vel conventione expreſſa vel incidenter factos, admittere. *l. 5. C. d. ædific. priv.* verb. *ſocius vel collega.* Eſt vero hoc caſu balneum ſociis quoad dominium, uſum & fructum commune, nec poteſt unus in præjudicium alterius proprietatem ac dominium totius ſibi in ſolidum vindicare, aut illud collapſum tanquam rem ſuam refabricare; ſecus faciens impenſas, in ratam ſocii factas, non repetit, quia m. f. ſcienter in rem alienam impendit; expreſſa *d. l. 5. C. d. ædif. priv.* quæ tamen ſciente aut non contradicente ſocio bona fide neceſſario vel utiliter impendit, judicio pro ſocio aut communi dividundo recuperat.

§. IV.

Balnea privata recte vendi, vel alio titulo dominii translativo ad novum poſſeſſorem transferri, facile conſtat; idemque ædibus junctum ſub venditione ædium contineri, recte affirmat SPRENG. *d. jur. ædific. cap. 3.* CAEPOLL. *d. S. V. P. cap. 52. n. 6.* Balnea vero publica non, niſi ſub certis ſolennibus, alienantur, adhibito conſenſu ſuperioris & illorum, qui civitatem repræſentant, vel omnium civium, ac prævia cauſæ cognitione. *arg. l. 6. ff. d. contr. emt.*

§. V.

Locat balneum ſuum privatum ad uſus privatos pro

pro arbitrio dominus. *arg. l. 21. C. mand.* ad uſum vero publicum, balineum ſuum hodie locare non poteſt, niſi ſciente ac permittente magiſtratu, quum ſolius ſit magiſtratus circa uſum balnei publici ſtatuere. *Uſufructuarius vero non recte, neque ex boni viri arbitratu facit, ſi balneum uſibus domini privatis vacare ſolitum locare cœperit, aut publice lavet*, teſte VLPIANO *l. 13. §. 8. ff. d. uſufr.* nec ſervum, qui ad adminiſtrandum vel aliam operam conceſſus eſt in uſufructum, ad balneatorem locare vel inſtituere poteſt *l. 15. §. 1. ff. d. uſufr.* Uſufructuarius enim re aliter uti non debet, quam ad quem uſum fuit deſtinata. BRVNN. *ad d. txx.* Balneum civitatis publicum locat magiſtratus, vi conceſſæ adminiſtrationis rerum ad civitatem pertinentium. *t. t. ff. d. adminiſtr. rer. ad civ.* vel balneator, cujus eſt balneum *l. 30. §. 1. ff. loc.*

§. VI.

Balnea ita ad uſum lavandi elocata dicuntur meritoria, ad differentiam illorum, quæ gratis præbentur. *l. 91. §. 4. ff. d. leg. 3.* verb. *meritoriorum.* Locatis autem balneis debentur ea, ſine quibus lavatio præberi nequit, quæve ad neceſſarium balinei inſtructum pertinent. *arg. l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct. l. 19. §. 2. ff. loc.* in ſpecie miniſteria neceſſaria. *l. 3. C. Th. d. collat. donat.* verb. *mancipes qui ſub penſionis locatione retinentur.* Sumtus quoque ad refectionem balnei locator contribuere debet. *l. 58. §. 2. ff. loc.* Eſtque hoc loco conſuetudo cujusque provinciæ ac civitatis, vel etiam uſus patrisfamilias aut lex contractus ſpectanda. Erat autem olim inde a Ciceronis ætate tempus inchoandæ locationis atque exſolvendi mercedem frequentiſſimum, Calendæ Juliæ; uti habet LABEO *l. 60. pr. ff. loc.*

quod

quod ſolenne tempus etiam in balneis obſervatum fuiſſe ex AFRIC. licet cognoſcere, qui ſe idcirco in ſolvendæ mercedis balneariæ tempore ad illas Calendas refert. *l. 9. pr. ff. qu. pot. in pign.* Sicuti & hoc tempus alias in addictionibus emtionum finiendis memoratur. *l. 41. ff. d. contr. emt. vend.* it. in precariis poſſeſſionibus *l. 12. ff. d. precar.* Hodie tempus locandorum balneorum & operarum ex arbitrio partium & more tribus dependet. Uſum tamen & praxin maxime hodiernam definit *Weym. Bader Ordn. art. 20. Weil ſich bisher oft begeben, daſs etliche Meiſter, andere Meiſter, die da keine eigene Bad-Stuben haben, einer den andern hintergehen und ausmiethen, auch bey der Obrigkeit ſich angeben, daraus vielfältig groſſer Unrath entſtanden; Als ſoll ſolches Angeben nnd Ausmiethung künftiger Zeit gäntzlich verbothen ſeyn, und ſich keiner unterſtehen, das Bad zu miethen, es habe denn zuvor der Meiſter, der das Bad innen, und bewohnet gehabt, ſeinen Abſchied bekommen, welches er ſich bey dem Meiſter und Inwohner des Bades, ob er Abſchied habe, oder nicht, erkundigen ſoll.*

§. VII.

Ab iſta generali balneorum conductione per averſionem quandam facta, differunt rurſus particulares locationum conductionum contractus, qui inter hoſpites & balneatorem acminiſtros intercedunt; quales in Legibus memorantur; (I) conductio cuſtodiæ ad ſervanda veſtimenta a lavaturis depoſita pro certa mercede, *l. 3. §. 5. ff. d. offic. præf. vig.* Celebratur hic contractus principaliter inter ipſum hoſpitem veſtes ad fidem cuſtodiæ deponentem, & capſarium antiquitus dictum, ſeu cuſtodem veſtium; civiliter autem, & ſecundario, cum ipſo balnea-

balneatore, qui balneum exercet, initus cenſetur, quippe qui miniſtrum cuſtodiæ præponendo, & mercedem per eum recipiendo, tacite per illum cum hoſpitibus contrahere, et de fide miniſtri repromittere intelligitur. *l. 4. ſ. 2. ff. de his qu. not. infam.* & hinc ſi veſtimenta perierint, ipſe balneator in ſubſidium ex locato tenetur. *l. 1. §. 8. ff. depoſ.* (2.) Locatio ſeu conductio operæ balneatoriæ ac lavandi miniſterii pro certa mercede. *l. 12. §. 8. ff. d. ædif. priv. l. un. in med. C. de monop.* ex quo contractu balneator ad operam; hoſpites ad balneaticum tenentur. Sin plures balnei uſum ac operam ſimul conduxerint (pro certo pretio), ſinguli tenentur in ſolidum, quia uſum balnei quilibet in ſolidum percepit. *l. 5. ſ. ult. ff. commod.* inter ſe tamen concurrentes partes faciunt. *arg. l. 80. ſ. 1. in f. ad leg. falcid.* (3.) Ipſe balneator ex contractu obligatur miniſtris ſuis, & hi viciſſim balneatori ad operas præſtandas & curandos hoſpites. Quorum proinde officium utrinque deſcribit *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art. 31.* ibi: *Er ſoll kein Meiſter zwiſchen der Ding-Zeit ſeinen Geſellen Uhrlaub geben, als auch der Geſelle gehalten ſeyn ſoll, 14. Tage zuvor ſeine Aufkündigung zu thun, und ſo lange zu verbleiben, bis von ihme ein ander tüchtiger Geſelle in die Werckſtätte verſchaffet ſey, da auch ein Geſelle oder Mittler von ſeinem Meiſter Uhrlaub genommen und bekommen habe, ſoll er ſeine Geſchäfte, da er derer zu verrichten hätte, aufs ſchleunigſte als möglich, vollbringen, und über 8. Tage in der Stadt ſich nicht aufhalten, viel minder ſich daſelbſt auff den Fall, mehr als ein Meiſter vorhanden, in Arbeit einzulaſſen unterwinden, ehe und zuvor er ein halbes viertel Jahr ſich auſſer der Stadt und anderswo in*



*Dien-*

*Dienſten aufgehalten, und daſs ſein alter Meiſter wegen Abſtrickung ſeiner Kundten, auſſer Gefahr ſeyn und bleiben könnte.*

§. VIII.

Mercedis loco in balneis pro lavatione olim exſolvebant quadrantem, quæ eſt quarta pars aſſis. AMBROS. *Tom III. Oper. ad Luc. cap. 12. in f. quadrantem autem in balneis dari ſolere, reminiſcimur, cujus oblatione illic unusquisque lavandi accipit facultatem.* Inde *quadrante lavari* apud HORAT. *Lib. 1. Sat. 1.* item apud IVVEN. *Sat. VI. verſ. 448.* & rem quadrantariam vocat SENEC. *epiſt. 48. At olim & pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata, cur enim oneraretur res quadrantaria in uſum non in oblectamentum reperta.* Statuit hodie balneaticum publici balnei magiſtratus aut princeps, nec poſſunt balneatores inter ſe ſtatuere, ut lavetur ſine certo pretio SICHARD. *in l. un. C. d. monop. n. 9.* KNIPSCHILD. *d. Jur. Civit. imper. L. V. c. 2.* Soletque in publicis Taxationum conſtitutionibus, *denen Tax-Ordnungen*, eſſe proviſum, quantum balneatori pro opera ſua exigere liceat; quæ proinde Ordinationes ante omnia ſunt inſpiciendæ. Secundum Taxationem Elector. Saxon. in circulo Misnico ita conſtitutum; *Von einer Perſon klein oder groſs, ſo ins Bad gehet, 6. Pfennige, von einem Kopf 2. Pfennige, von einer Wanne 1. Groſchen, von einem Schaubhut 1. Pfennig.* Vid. *Churfürſtl. Sächſiſche Tax-Ordnung, pag. 489.* Vltra hanc ergo publice ſtatutam mercedem exigere aliquid non licet, & ſecus faciens triplum fiſco inferre cogitur ſecundum *Nov. 122. c. 1.* Sin vero quis domum advocet balneatorem, ac ibi opera eius utatur, Conſtitutione Taxationis Electorali Sax. certum pretium operæ definitum non eſt, ſed

ſtatur

ſtatur partium conventioni; *loc. cit.* verb. *Wenn aber einer den Bader ins Hauſs fodert, der mag ſich mit ihm darüber vergleichen.*

§. IX.

Datur ex hoc contractu actio ex locato conducto inter contrahentes; et quidem recenſetur in legibus ſpecifice actio ex conducto, quæ datur conductori adverſus locatorem balnei, ut pro rata temporis, quo lavationem ſ. uſum balnei non præſtitit, mercedem remittat. *l. 30. §. 1. ff. loc.* datur etiam hæc actio ex judicio Vlpiani hoſpiti balneario, qui veſtimenta ſua mercede ſervanda tradidit, & iſta perierint *l. 1. §. 8 ff. depoſ.* eadem utiliter applicatur, quando culpa miniſtri balnearii incendium ſubortum balneum abſumſerit, *l. 27. §. 9. ff. ad leg. aquil.* & ſic porro. Et denique generaliter ex quovis contractu circa balneum celebrato, datur propria cuivis contractui congrua actio, quas tamen omnes hic recenſere, cum lex ſpeciatim de iſtis nihil moneat, foret otioſum.

§. X.

Intercedit & quaſi contractus in receptione hoſpitum balnei, & factis miniſteriorum circa balnea præſtandis; complectitur hic quaſi contractus omnes præſtationes perſonales, ad quas alias nauta, caupo, ſtabularius publicis edictis obligatur, *arg. l. 17. §. 2. ff. d. inſtruct. vel inſtrum. leg.* ubi ad exemplum inſtructus cauponarii, inſtrumenta balnearia & balneator confertur; atque eandem collationem juris inter utrumque recte fieri asſerit CVIAC. *XXIII. Obſ.* 2. CAEPOLL. *d. S. U. P. cap. 52. num. 6.* STAMM. *d. Servitut. II. c. 16.*

# CAP. IX.

## DE JVDICIIS AC FORO BALNEORVM ET BALNEATORVM.

### SVMMARIA.

*Magiſtratus circa balnea. §. 1. Ædilis, Xyſtarcha ib. quando cura balneorum ad Præf. Vrb. & Præt. tranſierit. ib. Vindex civitatis. §. 2. Cura aquæductuum ad balnea penes quos magiſtratus fuerit §. 3. adverſus capſarios quis fuerit judex. §. 4. Solebant veteres balnea Diis dedicare. §. 5. ad quem hodie pertineat jurisdictio balneorum §. 6. viſitatio balneorum. ibid. forum balneatorum. §. 7. jurisdictio tribus in cauſis tribuariis. §. 8. etiam a balneo recte quis in jus vocatur. §. 9. an balneatores poſſint eſſe teſtes. §. 10. rumores balnei, an probent. ib. juramentum balneatorum. ib. Ex quibus principiis jura balneatorum decidantur. §. 11. qualis interpretatio locum habeat in juribus balnei. §. 12.*

§. I.

Circa balnea olim duplicis generis magiſtratus erant conſtituti; Alii enim ipſum balneum, ejusque præbitionem, temperaturam, exſtructionem, refectionem &c. curabant; Alii de aquis ad balneum dandis ac derivandis providebant. Prioris generis officium antiquitus apud Romanos erat penes Ædiles tam in urbe, quam in provinciis. Quod ex SENECA diſcimus, qui *ep. 86.* inquit: *Sed Dii boni, quam juvabat illa balnea intrare obſcura & gregali tectorio inducta, quæ ſcires Catonem tibi Aedilem aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu ſua temperaſſe, nam hoc quoque nobiliſſimi Aediles fungebantur officio, intrandi ea loca quæ populum receptabant, exigendique munditias & utilem a ſalubrem temperaturam.* Atque hi

hi illud etiam usque in Impp. ætates ita geſſerunt, ſiquidem in *l. 30. §. 1. ff. loc.* memoratur, quod ædilis balnea gratis præbenda conduxerit in municipio, quæ lex eſt Alfeni JCti, qui floruit tempore Tiberii, uti teſtatur IOANNES BERTRANDVS *de Vitis ICtorum pag. 56.* Diſciplina tamen balnearis in ipſis balneis erat penes Xyſtarchos, qui & gymnaſiarchæ, ſ. gymnaſiorum Præfecti appellantur. Unde in vetuſtis inſcriptionibus Xyſtarchas ſæpe balneis Præfectos legeris. Vid. FALCONER. *Inſcript. Athlet. p. 45. ubi Decretum Antonini de Vlpio Domeſtico Balneis Auguſtalibus Præfecto explicat.* Demandata dein fuit cura Vrbanorum Balneorum Præfecto Vrbis. Conf. GRVTER. *Theſ. Inſcript. p. 177. n. 6. 7.* Siquidem Valentiniano & Valente Impp. cura lavacrorum ad eosdem pertinuit, qui in ſpecie lignis in uſum thermarum publicarum a corpore collegiatorum ſubvehendis proſpiciebant *l. 13. C. Th. d. navicul.* & thermarum exhibitionem per ſuos mancipes curabant *l. 1. C. Th. d. mancip. thermar.* Manſit hæc Præf. Vrb. cura ad Honorii & Theodoſii jun. ætatem, uti demonſtrat inſcriptio *l. 50. C. Th. d. oper. publ. l. 52. eod.* quæ concordat cum *l. 19. C. Juſtin. d. oper. publ.* In provincialibus diœceſibus cura lavacrorum ac lignorum ſubvehendorum ad Præfectos Prætorio pertinuit, uti docet Theodoſii M. Arcadii & Honorii conſtitutio in *l. 131. C. Th. de decur. ad Aurelianum Pf. P. inſcripta.* it. *l. un. C. ne Comit. & Trib. lavacr. præſt.* quæ eſt ad *Anthemium Præf. præt.* Add. *l. 19. ff. d. oper. publ.*

§. II.

In quibusdam vero civitatibus Curatoris reip. erat munus, publica balnea ex pecunia, a rep. ſubminiſtrata, curare

curare & publice præbere, uti conſtat ex *l. 18. §. 5. ff. d. mun. & hon.* PANCIROLL. *d. magiſtrat. municip. cap. 19. circ. fin.* Diſtinguendus autem eſt ab hoc Curatore reip. Curator thermarum Imperatoriarum, qui quandoque adhuc ſpeciatim lavationi præficiebatur; uti memoratur Aurelius, Curator thermarum Varianarum apud GRVTER. *Theſ. Inſcript. p. 182. n. 7.* Juſtiniani demum Edictis Vindex Civitatis hanc balnei publici ſuccendendi curam habuiſſe legitur, qui illud ex pecunia publicarum exactionum, quas in iſtam erogationem lex deſtinaverat, civitati miniſtrabat, uti eſt in Edictis Juſtiniani Imp. *Ed. XIII. c. 14.* De hoc autem vindice Civitatis, quis fuerit, inter interpretes non ſatis conſtat. Alii Defenſorem civitatis fuiſſe arbitrantur, ex eo, quia, quem appellant Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, *in l. un. C. Th. ſi quac. pot. præd. nupt. pet. invit.* Vindicem civitatis: verb. *curaturis hoc uniuscujusque civitatis Vindicibus.* vertat TRIBONIANVS *in l. un. C. Juſtin. eod.* Defenſorem civitatis verb. *curaturis hoc ejusdem civitatis Defenſoribus.* Alii Vindices civitatis diſtinctos a Defenſoribus magiſtratus fuiſſe opinantur, quod & nos probamus. Etenim exigendi olim a civitatibus tributa poteſtas erat penes Decuriones, qui civem eligebant, qui tributa exigeret, *Suſceptorem* vocatum, quod debita publica ſuſciperet, is creabatur in Curia civitatis, eo fere modo, quo & Decuriones, unus enim aut plures ſuo periculo eum nominabant, in quem ſi curiales conſenſiſſent, acta a tabulario Curiæ ſcribebantur, eaque cum nomine Suſceptoris, & nominantis, qui pro illo tenebatur, ad præſidem provinciæ mittebant. *l. 8. C. d. ſuſceptor. præp. arcar.*

*l. 23.*

*l. 23. C. d. decur. l. 17. §. 7. ff. ad municip.* Ab hoc demum colligendorum tributorum onere Anaſtaſius Imp. decuriones liberavit, atque in qualibet civitate exigendis tributis quosdam præpoſuit, quos *Vindices* vocabant; uti diſerte docet NICEPHOR. *XVI. c. 44.* EVAGR. *ſacr. Inſtit. L. 3. c. 42.* Et hos ipſos Civitatum Vindices ædilitatis ſæpe munia obiiſſe, vel ſimul fuiſſe ædiles, declarat vetus inſcriptio, quam ex Appiano refert GRVTER. *p. 485. n. 8.* Et permanſit hoc officium usque ad ætatem Juſtiniani. PANCIROLL. *d. magiſtrat. municip. cap. 10.* Hi proinde exactores & diſpenſatores pecuniarum, in balnea publica impendendarum, ſingulis annis debebant rationes ſuas apud uniuscuiusque civitatis epiſcopum deponere, atque ad ipſius iuſſum ſtato anni tempore ad has edendas coram ipſo comparere. Secundum reſcriptum Juſtiniani Imp. in *l. 26. pr. Cod. d. epiſcop. aud.* PEREZ. *eod.*

§. III.

Ad quem vero magiſtratum jus dandæ vendendæque aquæ ad balneas, pertinuerit, in iis ipſis legibus variatur; interdum enim ab Ædilibus, interdum a Cenſoribus permiſſum invenitur; hinc in vetuſto lapide habetur; L. Betilienum, propter plura ædificia urbis reſtituta, inter quæ in ſpecie *lacus balinearius* memoratur, Cenſorem a Senatu bis factum fuiſſe. GRVTER. *Theſ. inſcript. p. 171. n. 8.* Sed apparet, quoties in rep. erant Cenſores, ab illis potiſſimum petitum; Cum ii non eſſent, Ædilium eam poteſtatem fuiſſe. FRONTIN. *d. aquæd. L. II. p. m. 40.* Dein ſpeciatim Curatores aquæductuum a Senatu fuerunt conſtituti, ut extra urbem du-

ctus obirent, & obſervarent, an vitio aliquo laborarent, & quibus partibus ſuccurrendum; ac etiam beneficia recognoſcerent, ne quis non conceſſam ſurriperet aquam &c. uti Sctum ea de re factum refert MARTIAN. *Topogr. Rom. c. 10.* Poſtea aquarum publicarum curam ac conceſſionem ſibi vindicavit Auguſtus Princeps, conſtitutis peculiaribus aquarum Curatoribus, quorum primus Meſſala Corvinus legitur, datis coadjutoribus Poſthumio Sulpitio Præt. & L. Cominio Pedario, dataque eis ſunt inſignia, & poteſtas eorundem ſpecialiter Senatusconſulto fuit firmata. FRONTIN. *de aquæd. l. cit. p. 50.* Sub Conſtantino Imp. *Conſularis aquarum* tuitionem aquæductuum habuit, ut tum a ſordibus, tum a confinio rerum noxiarum v. g. arborum &c. eos defenderet. *l. 1. C. d. aquæd. Quæ ad Maximilianum Conſularem inſcribitur*, trahenda autem ad inſcriptionem hujus legis vox initialis nigri, ſc. *aquarum;* quæ vox non pertinet ad legem, quia in d. l. agitur de poſſeſſoribus & poſſeſſione, aquæ autem publicæ non erant in poſſeſſione privata, ſed revocanda eadem vox ad inſcriptionem dictæ Conſtitutionis, ut ita ad exemplum ejusdem Conſtantini Reſcripti *in l. 1. C. Th. de diverſ. offic.* plena legatur inſcriptio ad *Verſennium Fortunatum Conſularem aquarum.* Vid. GOTHOFR. *in not.* Inſequentium dein Impp. ætate cura aquæductuum ad Præf. Vrbi tranſiit, & maxime Gratiano, Valentiniano ac Theodoſio Impp. ſicuti declarat ab eisdem impp. dati Reſcripti inſcriptio in *l. 3. C. Th. d. aquæd. Ad Clearchum Præf. Vrb.* ubi in ſpecie agitur de aquæductu ad balneas, & in fine reſcripti officium aquæductuum ſeu familia aquaria ejus imperio parere dicitur.

dicitur. In Provinciis autem hæc poteſtas penes Præf. præt. aut præſidem fuiſſe videtur; ſpecialiter enim ſanctione Theodoſii cavetur, ut ſi quis jus aquæ derivandæ nactus fuerit, reſcriptum præf. præt. vel hoc abſente præſidi provinciæ majori inſinuetur. *l. 5. C. d. aquæd.* Add. *l. 5. C. d. ædif. priv.* quæ Præf. præt. poteſtas ad Anaſtaſium Imp. perducta, uti eſt inſcriptio *l. 11. C. d. aquæd.*

§. IV.

Speciatim adverſus capſarios, qui ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiebant, judex erat conſtitutus Præfectus Vigilum, ut, ſi quid in veſtimentis ſervandis fraudulenter fuerit admiſſum, ipſe cognoſceret. *l. 3. §. fin. ff. d. offic. præf. vig.* Eundem judicem furibus balneariis præſtitutum arbitror, quia & in nocturnos fures exercebat imperium, & noctu ſæpe e balneis ſurriperetur. *l. 1. 2. ff. d. fur. balnear.* cum maxime Alexandri Severi ætate in noctem usque balnea paterent. Adverſus balneatores illicita pacta ineuntes, quæ ſpeciem monopolii ſapiant, Præf. præt. ex Zenonis Imp. reſcripto datur. *l. un. C. d. monop.*

§. V.

Solebant quoque Veteres balnea certis Diis ſacra dedicare; Vti enim et ipſis Diis ſui erant fontes ſuaque lavacra, ad indigitandam puritatem divini numinis, ita quoque & balneis non ſolum ſimulacra Deorum Dearumque, veluti ſignum Cupidinis, Bacchi, Æſculapii &c. inferebant, iisque ſacrificia faciebant, ſed etiam habebant quosdam Deos, veluti genios & tutelares, præſides ſuorum balneorum; cum cuilibet operi majori certos ſuos genios adſignarent. Patet illud ex veteri inſcriptio-

ne, reperta Romæ, in tabula, quæ & magnificas thermas parte ſuperiore exprimebat, admirantesque eadem viros duos fœminasque totidem; parte vero inferiori lavantium habitus, inque medio ſcriptum erat;

GENIO LAVACRORVM METELLI

Quam ex ſchedulis Boiſſardi recenſet GRVT. *Theſ. inſcript. p. 111. n. 7.* Balnea vero in uſum gymnaſiorum exſtructa Herculi plerumque ſacra dicebant, quia Hercules athletarum præſes credebatur; unde *Thermæ Herculis* in Campania memorantur a vetuſta inſcriptione ap. GRVT. *l. c. pag. 43. n. 6.*

## §. VI.

Hodie Cura, Jurisdictio atque inſpectio balneorum publicorum pertinet ad magiſtratum municipalem illius loci, ubi ſunt exſtructa. Eo, quod balnea inter res univerſitatis referantur, quarum cura magiſtratui incumbit. *arg. §. 7. Inſt. d. rer. diviſ.* Pars jurisdictionis balnearis eſt Viſitatio balneorum, conſueto civitatum more ſingulis annis ſolita. Adhiberi ad eam ſolent unus vel duo e ſenatoribus civitatis & Phyſicus Provinciæ, qui ſtato die balnea ingrediuntur, inſtrumenta ac medicinas balneatorum explorant, & quemvis de officio ſuo diligenter exequendo monent, uti habent Privilegia *der Bader in Gräfl. Schwartzb. Amt Gehren art. 2. in f. Zu welchem Ende iedes Jahr bey denen Badern der beſtellte Land-Phyſicus nach Anleitung ihrer Innung, und wie ſie derſelben nachleben, ſich ihres Berufs verhalten, ſo wohl zu Hauſe mit Artzeneyen und Inſtrumenten verſehen ſeyn, revidiren, bevorab aber dahin ſehen, und ſie vermahnen, daſs ſie ſich vor allen Dingen der Gottesfurcht, der Nüchterkeit befleiſsigen, damit jederzeit, wo ein*

*Fall*

*Fall vorfiele, die Patienten wohl verſehen, und niemand durch Unfleiſs oder Trunckenheit verwarloſet würde.* Conf. *Weymar. Bader-Ordn. art.* 7. Cujus veſtigium in antiquitate invenimus; ex Reſcripto enim Juſtiniani Imp. in *l. 26. C. d. epiſc. aud.* uniuscujusque civitatis epiſcopis ea cura demandatur, ut ſingulis annis ſtato die in unum conveniant, adhibitis tribus primoribus civitatis, bonæ exiſtimationis & auctoritatis, opera balneorum facta atque aquæductus inſpiciant, curentque ut ubi neceſſe eſt, reficiantur, rationesque ab adminiſtratoribus pecuniarum balneariarum ſuſcipiant, & controverſias rationum componant.

## §. VII.

Forum balneatores duplex ſortiuntur; aliud commune, quatenus ſunt cives in ſocietate civili viventes, quod commune habent cum aliis; Aliud proprium, ut balneatores, in cauſis balneariis. Habent autem regulariter proprium hoc forum coram magiſtratu oppidano, ſub cujus jurisdictione balneum, quod exercent, eſt ſitum. Verum hic præcipue quæritur, an balneator in cauſis etiam non balneariis judicium ac forum magiſtratus oppidani, ſub quo habet ſuum balneum, agnoſcere teneatur, ibi conventus? Et quanquam videatur, caſum contingere non poſſe, cum ſupra diximus, quod balneator ad jus Civitatis recipiendæ teneatur, & hinc ut civis ſequi forum neceſſe habeat, tamen poteſt evenire, ut vel ante receptionem conveniatur ab adverſario, vel ipſe alibi degat, & per miniſtros ſuos balneo provideat? Reſp. Cum non per ſolam balneaticam contrahatur domicilium arg. *l. 27. §. 1. ff. ad municip.* neque ſubjectio ante conſtitu-

tionem domicilii, aut receptionem in civem, ultra patere poſſit, quam patent cauſæ & negotiationes balnei, utique putarem, balneatorem tali caſu extra cauſam balnei conventum, exceptione fori incompetentis, judicium declinare poſſe. Sed anne intuitu officinæ tanquam in judicio rei ſitæ coram judice municipali ſtare iſti neceſſum erit? Diſtingv. (1) an balneum ſit proprium, an conductum; (2) an conveniatur actione reali balneum afficiente, an perſonali. Prioribus caſibus judicium declinare non poteſt *arg. l. 3. C. ubi in rem act. exerc.* Poſterioribus omnino, neque enim conductio forum tribuit, ſi ibi alias non habitet, nec judicium rei ſitæ ultra actionem realem eſt prorogandum. Sicuti porro officina ipſa balnei judicium reale ſ. forum rei ſitæ fundat; ita, & qui conſtanter & frequenter balneo alicujus civitatis utitur, domicilium in eadem conſtituiſſe præſumitur teſte VLPIANO *l. 27. §. 1. ff. ad municip.*

§. VIII.

Habent autem, more reliquorum opificum, in cauſis nimirum balneariis, primam ſuam inſtantiam coram tribu ſua & ſenioribus illius Magiſtris, atque apud arcam opificiariam; *Vor der Zunft Ober- uud Alt-Meiſtern bey der Lade und Innung.* Quod veluti eſt arbitrium neceſſarium, nec tamen ultra cauſas balneares poteſt extendi. *Gräfl. Schwarzb. Gehriſchen Bader-Ordn. art. 14. Da Irrungen zwiſchen Herrn und Geſinde, über Handwercks-Gebrechen, wie je zuweilen zu geſchehen pfleget, ſich begeben, ſollen ſolche vor den Alt oder Ober-Meiſtern entſchieden, der ſchuldige Theil aber beſtraft werden.* Sin vero quis in laudo magiſtri tribuarii acquieſcere nolit, intra legitimum fatale, parti

gra-

gravatæ licitum eſt, cauſam ad ſuperiorem deferre, quæ delatio itidem locum habet, ſi res altioris indaginis, aut quæ jurisdictionem tribus excedunt, obveniant. *Gräfl. Schwartzb. Ordnung. l. c. art. 14. Wollte aber ein oder anderer Theil bey des Obermeiſters Ausſpruch ſich nicht beruhigen, oder es weren Schelt, Trohworte, oder wohl gar Thätlichkeiten mit untergelauffen, ſoll die Sache vor unſer geſamtes Amt gebracht, und daſelbſt nach Recht und Billigkeit abgethan werden.* Exercet hanc poteſtatem dirimendi controverſias opificiarias Senior tribus, *der Ober- und Alt-Meiſter*, cum aſſeſſoribus qui legitimis ſuffragiis a tribu ſunt electi, *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 14. Es ſoll auch keiner zum Obermeiſter oder Beyſitzer erkohren werden, er ſey denn zuvor vier Jahr Meiſter geweſen.* Senioratus vero non ſecundum annos naturales, ſed civiles, prout quisque prius aut poſterius in tribum receptus eſt, & jura magiſterii exercuit, computatur. Eſt præterea veluti director tribus, eandemque in actibus tam iudicialibus quam extrajudicialibus, qui totam tribum concernunt, certa ratione repræſentat. Eſt & penes ipſum arca opificiaria, *die Innungs-Lade*, & pecunias tribuarias adminiſtrat, collegisque ſuis inde ad rationes ſtato tempore in conventu tribus reddendas obſtringitur. *Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordn. in dem Amt Gehren. art. 11. circa fin. Wenn nun die Zunft beyſammen, ſoll der Ober- oder Alt-Meiſter von dem, was das Jahr über in die Lade einkommen, und wieder ausgegeben worden, denen andern Rechnung thun, welche Rechnung hernach von allen zu uterſchreiben und beyzulegen.* Competit porro eidem jus dictandi pœnam ſecundum articulos tribus, & exactio multarum; Cum vero

 iſtæ

iſtæ ſecundum placita quarundam regionum, quoad partem dimidiam ad fiſcum principis pertineant, itaque eatenus ad rationes reddendas, & exactas pœnas ſub fide juramenti fiſco indicandas tenetur; pœna quandoque quadrupli ſtatuta, ſi quid illarum doloſe reticuerit. Uti habet *Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordn. des Amts Gehren, art. ult. Und ſoll iedweder Alt- oder Ober-Meiſter, der die Handwercks-Lade hat, an Eydes ſtatt angeloben, daſs er alle Straf-Fälle unſerm Amte treulich anzeigen, und keinen verſchweigen wolle; Geſtalt denn, wenn er einiger Verſchweigung oder Unterſchlagung überführet werden könnte, das verſchwiegene quantum noch viermahl ſo viel erſetzen, auch nach Befindung härter geſtraft werden ſoll.*

§. IX.

Initium judicii ac fundamentum eſt citatio. Vocatur vero reus in jus competente juris remedio etiam a balneo; uti expreſſe aſſerit CAIUS JCtus *l. 20. ff. d. in jus voc.* ibi; *Sed etiam a vinea & balneo & theatro nemo dubitat in jus vocari.* Quod quidem de balneo publico capiendum eſſe, Juliani ratio proxima præcedente *l. 19.* aſſerta evincit, quia & a publico conſpectu in jus vocare licet, adeoque per illationem conſequentiæ hic veluti exempla ſubjiciuntur, ac etjam a balneo recte vocari quempiam in jus, dicitur, quum & ibi in publico conſpectu & lavantium cœtu verſetur. At de balneo privato hoc non interpretor, quia inter domus partes refertur, unde extrahi quis non poterat. *l. 18. ff. d. injur.* Hodie, cum modus ille rapiendi in jus, in noſtris foris ſit exoletus, & modeſtior ad judicem compellendi ratio conſtet, citatione vel ſcriptis vel oretenus emiſſa; utique & citationem lavanti in

bal-

balneo ſeu publico ſeu privato inſinuari poſſe, non dubito, adeo, ut lis per factam inſinuationem in competentibus cauſis non ſolum præventa dici poſſit, ſed etiam emanens pro contumace haberi debeat. Cum enim citatio nihil amplius in ſe contineat, quam ut notitia motæ litis & tempus præſtituti termini citato innoteſcat, certe locus balnei non oberit, quo minus finis citationis obtineatur, & ſic cum fine valeat citatio ad omnes legitimos juris effectus.

§. X.

Ad teſtimonium in judiciis perhibendum in cauſa tam criminali quam civili recte admittuntur balneatores, atque, ſi alias ſint viri integræ vitæ atque exiſtimationis, plenam omnino merentur fidem, ipſa enim profeſſionis ratio, quam non niſi imperitum vulgus ſiniſtra ſuſpicione elevat, ipſos arcere non debet, utpote quæ publicis moribus atque imperii ſanctionibus eſt firmata. TABOR. *d. metat. Sect. II. cap. 3. art. 2. §. 9.* Rumores tamen ac ſermones in balneis de quavis re habiti ad probationem nil facere, lubentius conceſſerim, quum ibi tales plerunque homines confluant, qui ſolidi nihil afferre poſſunt. Ad actus judiciales pertinet etiam juramentum; Præſtant autem illud vel ſecundum jus commune, veluti teſtes, actores, vel rei, v. g. juramentum malitiæ, ſuppletorium, purgatorium &c. vel ſecundum ſpecialem rationem, uti intuitu officii publici balneatoris, *wenn ein Bader zum öffentlichen ordentlichen Stadt-Bader und Chirurgo angenommen wird.* juxta formulam a conferente magiſtratu præſcriptam. Aut denique quando judicium ejus, ſuper cauſis profeſſionem, operam atque opificium balneatorium

rium ſpectantibus exquiritur, quod balneatoris eſt proprium, & formula ejus Ordinat. Cameræ Imp. *de anno 1553.* definita, ac dein Reformat. *zu Augſpurg de anno 1555. Part. 1. tit. 85.* confirmata. Etſi enim iſta conſtitutio chirurgorum ſaltem mentionem faciat, tamen utiliter ad omnes opificiarios extenditur, & maxime ad balneatores, qui ſpeciem ac partem chirurgiæ exercent. verb. rubr. *oder einen andern kunſterfahrnen, über das, ſo ihm aus Erfahrung ſeiner Kunſt bewuſt.* Huc pertinet in ſpecie juramentum, quo relationem ſuper ſtatu vulneris confirmant, uti ſecundum praxin judiciorum hodiernam, neceſſarium ac ſolenne eſt in cauſa criminali, quando in puncto homicidii lethalitas vulneris per ſectiones inquiritur, ibi enim quandoque deficientibus chirurgis balneatores ad vulnus cum Phyſico inſpiciendum admittuntur, qui dein jurato referre debent. Cæterum quæritur an balneator legitimo juramento ad negotia civitatis aſſumtus *der Stadt-Bader*, in cauſis ſpeciatim obvenientibus nihilominus ad ſingulos actus jurare teneatur? Reſp. Neg. alias enim juramentum ab initio præſtitum ſublatum dicere deberemus, quod tamen cum officio inhæreat, ad omnes officii actus recte pertenditur, adeoque effectum ſuum ſemper exſerit.

§. XI.

Ad ulteriorem probationem & deciſionem cauſarum balnearium diſtinguendi ſunt caſus; Aut enim lis eſt inter ipſos balneatores, magiſtros, ſocios, tyrones de cauſa opificiaria; aut inter hoſpites ac balneatores, vel extraneos aliquid circa balnei cauſam petentes: Et tunc primo omnium ſpectanda eſt lex contractus, qualiter inter

inter ſe partes convenerint; pacta enim adjecta ſæpe cauſam balneorum variare poſſunt; ita ex locato quandoque depoſiti cauſam circa balneum reddi, alterata per pactum contractus natura, in *l. 1. ſ. 8. ff. depoſ.* declaratur. Iſto caſu balneorum jura præcipue probantur ac deciduntur ex litteris atque privilegiis balneatoriis, *aus denen Innungs-Articuln*, hæc enim ſunt veluti leges tribus fundamentales; his non ſufficientibus, inveſtigantur Ordinationes municipales, Provinciales ac conſuetudines illius loci, ubi balnea exercentur. *arg. l. 27. ſ. 1. ff. ad municip. l. 3. C. ubi in rem act. exerc.* ita circa ſtatum formamque balnei ædificator explorare jubetur, qui ſit modus altitudinis uſitatus in ciuitate, quæve alia ædificandi ratio. *l. 1. C. d. ædif. priv.* Add. *l. 11. ff. d. S. U. P. l. 1. ſ. 17. ff. d. op. nov. nuntiat.* Sin autem neque ex privilegiis, neque ex jure ſpeciali caſus obveniens decidi poſſit, progrediendum ad ipſas Leges ac Conſtitutiones publicas; uti ſpeciatim Diocletianus & Maximinianus Impp. reſcribunt. *l. 5. C. d. ædif. priv.* ubi, cum in ſuperiori textus parte fuerit actum, de balneo in ſolo communi exſtructo ac refabricato, deque impenſis eo nomimine factis, dein in fine reſcripti ſubiicitur; *Præſes provinciæ memor juris publici in dirimenda diſceptatione legum placita cuſtodiet.*

§. XII.

Cæterum obtinet in cauſis balneariis pactorum, legum, ac jurium interpretatio tum ſimplex, tum extenſiva. *arg. l. 58. ſ. 2. ff. loc. verb. ſimiliumque rerum.* ita legato balneari argento, illud Scævola extendit ad argentum etiam illud, quo diebus feſtis in balneo uti conſue-

verint. *l. 40. ∫. 1. ff. de aur. & arg. leg.* item legatis ad præbendum publice balineum ſumtibus, non ſolum intelliguntur, qui ad parandum calefaciendumque balneum ſunt neceſſarii, ſed omnes, qui ad balnei inſtructum, atque etiam refectionem pertinent. *l. 35. ∫. 3. ff. d. leg. 3.* Add. *l. 41. ∫. 8. ff. d. leg. 1.* verb. *extenditur.* Licet quoque in cauſis balneariis argumentum a ſimili ducere, quale refert ab inſtrumento cauponiæ deſumtum, atque collatum ad inſtrumentum balneare MARCIANVS *in l. 17. ∫. 2. ff. d. inſtruct.* Et ſolent quoque hodienum balneatores ſæpe in interpretatione jurium ſuorum ad exempla ac atteſtata vicinarum provinciarum ac mores diuturnos provocare, uti in articulis tribus, aliisque ſcriptis opificiariis hinc inde occurrit.

## CAP. X.

### DE CONTRARIIS BALNEI, DELICTIS AC POENIS.

*SVMMARIA.*

*Balnei deſtructio contingit vel naturaliter vel moraliter.* §. *1. furtum balneare quid.* §. *2. qua pœna fuerit coercitum apud Græcos ac Romanos.* §. *3. quæ excuſent a furto balneari.* §. *4. quomodo hodie puniatur furtum balneare.* §. *5. damnum circa balneum eveniens, quis præſtet.* §. *6. damnum circa operam ſuam datam quomodo reſarcire teneatur balneator. ib. Non licet balneatori curationes imperfectas relinquere, aut easdem retardare, & quæ pœna inde ſtatuta.* §. *7. ins Band fallen quid ſignificet. ib. Injuria tribui facta quomodo vindicetur.* §. *8. delicta circa balneum extraordinaria recenſentur.* §. *9. incendium balnei quomodo puniatur.* §. *10. fornicationis in balneo pœna.* §. *11. Commune lavacrum*

*vacrum virorum & fœminarum conjugum qua pœna ſit interdictum. §. 12. Abuſus privilegii circa aquas ad balnea ducendas, quomodo coerceatur. §. 13. Facinora balneatorum & balneantium quis denunciare debeat. §. 14. Species pœnarum ſolitæ, quibus coercentur delicta balnearia. §. 15. Earum executio & fructus ad quem ſpectent. ib. epilogus §. 16.*

§. I.

Deſinit balneum per deſtructionem, aut amiſſionem privilegii balnearis. Contingit autem hæc vel naturaliter, caſu, ruina, incendio &c. *l. 30. §. 1. ff. loc.* vel moraliter per delicta *cap. 24. Cauſ. XXIV. qu. 1.* inde de delictis in balneis ac circa balneum hic erit agendum.

§. II.

Inter delicta balneorum recenſetur, primo furtum balneare, quod eſt delictum extraordinarium, quo veſtimenta lavantibus ſurripiuntur. *t. t. ff. d. furib. balnear.* qualia olim furta erant frequentiſſima, uti docet EPICTET. *Arrian. L. I. c. 22.* ATHEN. *Deipn. III. c. 18.* THEOPHR. *not. mor. III. in med.* nec ſolum veſtes ſurripiebant, ſed etiam callide permutabant, ſubſtituentes veſtimenta detrita ac vilia pro novis & pretioſis. FREHER. *Parerg. II. c. 12.* Furtum hoc perpetrantes ſpeciali nomine dicebantur fures balnearii. *rubr. & t. t. ff. d. fur. balnear.* ut probat TERTVLL. *de idolatr. c. 8. Credo,* inquiens, *& fures balnearios ſuis manibus vivere.* SEN. *ep. 56. adjice nunc ſcordalum & furem deprehenſum, & cui vox ſua in balneo placeat.* Latrones eoſdem vocat APVLEI. *IV. Metam. p. 146. Enim vero vos bonæ frugis latrones, inter furta parva atque ſervilia timidule per balneas & aniles cellulas reptantes ſcrutariam facitis.* Erat autem genus hoc furum ſagaciſſi-

mum, ut vix arte calliditates illorum evitari poſſent, inde ad illos arcendos capſarii erant ad ſervanda veſtimenta conſtituti *l. 3. §. ult. ff. d. offic. præf. vig.* quos tamen ipſos a furibus quandoque corruptos, aut cum iſtis colluſiſſe, non obſcure ex *d. l. 3.* verb. *fraudulenter admiſerint*, conjicit FREHER. *II. Parerg. c. 12.*

§. III.

Græcos furtum balneare ultimo ſupplicio puniviſſe, cum in domo privata factum, ſaltem punirent duplo, auctor eſt ARISTOT. *Problem. Sect. 29. qu. 14.* additque ibidem late rationes hujus ſeveritatis, quas excerptas exhibet MATTH. *in Comment. ad h. t. c. 1. n. 2.* A qua tamen ſeveritate Leges Rom. merito receſſerunt, pœnam extraordinariam ſtatuentes, ita tamen, ut eadem in plebejo, publici operis temporarii modum, atque in honeſtiore, relegationis pœnam non excederet. *l. 1. ff. h. t. l. ult. ff. d. effract.* MATTH. *l. c. cap.* 2. *n.* 2. CVIAC. *VI. Obſ. 8.* HERING. *de molend. qu. 37. n. 12.* Et diſtinguendi ſunt circa Leges Romanas triplices caſus. Aut enim (1) furta fiunt in balneis vel noctu vel interdiu. Poſteriori caſu reſpondet MARCIANVS *l. 2. ff. d. fur. baln. Fures balnearii, qui interdiu furtum fecerunt, ad jus ordinarium remittendi ſunt.* Hoc eſt, ut ego interpretor, ordinaria furti pœna plectendi; aliter GOTHOFR. *in not. ad h. l. & l. ult. ff. d. priv. del.* explicat, dum putat, per *jus ordinarium* hic intelligi Præf. Vrbi, ad quem fur diurnus foret remittendus, cum ſc. furis nocturni cognitionem præf. vigil. haberet. *l. 3. ff. d. offic. præf. vig.* Verum ſi antecedentem legem primam inſpicimus, conſtat, quod illa agat de furibus nocturnis & balneariis noctu furantibus,

&

& quod iisdem pœna extra ordinem ſit infligenda; deinde Tribonianus legem noſtram ſecundam ex Marciano veluti declarationem in limitationem prioris ſubjicit, quod & particula legis initialis, *ſed* indicat, quæ eſt adverſativa & caſum a contrario formatum innuit; ſicuti igitur in priori lege non dictum de judice, aut cognitione, ſed de pœna extraordinaria, ita a contrario in lege ſecunda, per *jus*, intelligenda eſt pœna ordinaria; ſicuti ad exemplum hujus, ſibi invicem hæc opponuntur *in l. ult. ff. d. priv. del.* Nec Præterea veroſimile eſt Præfectum urbi de furibus balneariis diurnis ſtatuiſſe; ſed potius, eosdem etiam ad Præfectos vigilum per exemtionem ſpecialem pertinuiſſe arbitror; Legitur enim Præf. vig. judex conſtitutus adverſus cuſtodes veſtium in balneis. *l. 3. ff. d. offic. præf. vig.* hi autem non minus noctu quam interdiu officium ſuum præſtabant, & deperditis veſtibus neceſſe erat, ut ipſi apud Vigil. Præf. fidem ſuam deponerent. Cum igitur in furtis balneariis inquirendis & plectendis, ſæpe obvenerit cauſa de negligentia, aut fide capſariorum corrupta, atque ita in ſpeciem furti ac furtivæ cognitionis incidat, utique putarem propter connexam iſtam delictorum & cognoſcendi rationem, eundem Præfectum vigilum circa diurnos æque, ac nocturnos veſtium e balneo ſurreptores ſtatuiſſe. Aſtipulatur præterea noſtræ ſententiæ gloſſa *ad d. l. 2.* CUIAC. *in Paratitl. ad h. t.* SPRENG. *d. Jur. ædif. cap. 9. p. m. 66.* Priori caſu pœna extraordinaria locum habet. *l. 1. ff. h. t.* quæ pro modo admiſſæ fraudis, vel gravior vel mitior eſſe poterat; Inſequenti tamen tempore & pœnam furti balnearis diurni propter fraudes furum multiplicatas ad

 judi-

judicium extraordinarium devergiſſe monet gloſſa & CVIAC. *ad h. t.* Add. MENOCH. *d. arbitr. Jud. quæſt.* I. *qu. 86. n. 29. & II. Cent. 3. Caſ. 295.* Secundo diſtinguendæ ſunt perſonæ furtum patrantes; Aut enim ſunt viliores, & in metallum condemnantur. *l. 1. ff. d. fur. balnear.* Aut ſunt honeſtiores, & relegationis exilio adficiendi. *d. l. 1.* aut denique ſunt milites, & pœna eſt ignominioſa miſſio *l. 3. ff. d. t.* GREGOR. THOLOS. *Synt. L. 37. c. 13. n. 2. 3.* Tertio fit furtum balneare vel ſine illata corpori vi, nuda effractione, & telo ſine noxia geſto, & obtinet in plebejos pœna metalli; in honeſtiores, relegatio. *l. 1. ff. d. fur. balnear.* aut vis ſimul corpori illata eſt, occidendo, vulnerando &c. & cauſa ad judicium publicum Legis Corneliæ aut Legis Juliæ de vi remittitur. *d. l. t.*

§. IV.

Excuſatur a furto balneari, qui ſine dolo veſtes alterius cum ſuis permutaverit, aut penitus abſtulerit, ſi illas non occulto ferat; datur tamen domino vindicandi poteſtas, teneturque auferens ad juramentum purgatorium, ſe dolo non feciſſe, niſi ex conditione perſonæ, exiſtimationis, officii, aut aliis circumſtantiis ſiniſtræ ſuſpiciones elidantur. Sicuti caſum hunc decidit textus expreſſus Juris veteris Saxonici *in Sachſen-Spiegel L. III. art. 89.* ibi: *Wer des andern Schwerdt oder Kleider oder Becken oder Scheer-Meſſer aus der Bad-Stuben, in den Wahn, daſs es ſein gleich iſt* (ſcilicet ductus ſimilitudinis errore, absque animo furandi) *träget oder nimmt, und das Seine da læſt; hält er es denn in den Wahn, daſs es ſeine ſey, unverhoblen* (ſi non doloſe occultet & pro ſuo venditet) *und*

*und that er dar einen Eyd zu thun* (i. e. ſi ſe offerat ad juramentum) *er bleibt es ohne Wandel* (non maculam famæ inde contrahit, nec enim dolus præſumitur, vel ſi qua præſumtio, per oblationem aut præſtationem juramenti extinguitur) *anſprechen aber mag man es wohl, und unter ihm beklagen* (dum adhuc poſſidet, vindicare ab eodem dominus poteſt, vel eundem ad exhibendum convenire) *Dieberey und Raubes mag man ihm nicht beſchuldigen* (condictione furtiva aut judicio furti pœnali non tenetur.)

§. V.

Hodie, propter furtum in balneis commiſſum, obtinet pœna eadem, quæ alias furto vel ordinaria vel extra ordinem pro modo admiſſi eſt ſtatuta, eſtque hac ratione arbitraria. Dn. PAR. *Synt. Civ. ad h. tit. §. 106.* quæ quandoque ad ultimum ſupplicium prorogari poteſt. THEODOR. *Colleg. Crim. cap. 3. aph. 16. Litt. C.* Species furti hodie frequentius contingit, quando ſocius vel tyro ex pecuniis, magiſtro balneatori debitis, aliquid ſubtraxerit; in quem caſum providet *Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordn. in dem Gemeinſchafts-Amt Gehren. art. 9.* ibi: *Was an Lohn oder Trinck-Geld einkommet, ſeinem Meiſter oder in die Büchſe treulich lieffern, wenn aber von einem etwas desfalls unterſchlagen würde, der ſoll von ieglichen Pfennig einen Groſchen, und von einem Groſchen einen halben Thaler Strafe geben, entfremdet er aber ſonſten etwas, oder hielte ſich ungebührlich, ſoll ſolches unſerm Beamten angezeiget werden, der nach Befinden ſoll drüber erkennen, oder da der Exceſs groſs, ſolches an uns zu berichten haben. Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 33. Welcher Geſell, Mittler oder Lehr-Junge etwas von dem verdienten Lohn oder Trinck-Geld heimli-*

*heimlichen behält, oder gar abſtiehlt, der ſoll vor ieglichen Pfennig einen Groſchen geben, denn mancher bricht von Lohne ab, und wills zum Trinck-Geld geben. Entfremdet er ſonſten etwas diebiſcher Weiſe, muſs er bey Erfolgung hoher Strafe ſich wiederum ehrlich machen laſſen, oder er wird von einem Ort zum andern aufgetrieben.*

§. VI.

Damnum circa balneum eveniens, ſi fortuitum ſit, ferit ſuum dominum, *l. 30. §. 1. ff. loc.* At ſi culpa cuiusvis concurrit, ille tenetur lege Aquilia, qui culpæ auctor eſt. *l. 50. ff. ad leg. Aquil.* ſin vero miniſter balnei circa balneum damnum intulerit, olim ipſe balneator iudicio noxali conveniebatur. *l. 27. §. 9. ff. ad leg. Aquil.* Hodie ſi extra iuſſum ac diſciplinam magiſtri in balneum quid commiſerit, quilibet ex ſuo facto, tanquam liber homo, tenetur. *arg. l. pen. & ult. ff. naut. caup. ſtab.* Quod ſi in curationibus ac opera balnearia damnum dederit balneator, præter reſtitutionem privatam, pro ratione doli vel culpæ arbitrarie poteſt puniri a magiſtratu; uti ad reſtitutionem condemnarunt Scabini Jenenſes Menſ. Jan. 1626. verb. *Daſs beklagter Bader Klägern wegen zugefügten Schadens und Verwahrloſung 100. Thaler über die 33. fl. 18. gr. ſpecificirte Unkoſten abzuſtatten ſchuldig, V. R. W.* Sin vero negligentiam magnam, aut dolum admiſerit, pro ratione circumſtantiarum carcere, eiectione e tribu, relegatione &c. coerceri poteſt, uti declarat reſponſum Helmſtadienſum menſ. Jan. d. 14. anno 1645. ad *Jul. Höck.* P. P. *Daſs gemeldter Bader, Caſpar Lindener, wegen der an Joachim Heidmann unternommenen Cur, ſo er nicht genugſam verſtanden, und ſeiner dabey befindlichen Nachläſ-*

*ſigkeit*

*ſigkeit halber I. F. Gn. Bothmäſsigkeit auf zwey Jahr lang zu verweiſen V. R. W.* Vel etiam pœna corporis afflictiva, veluti fuſtigatione. Vti conſtat ex *Fürſtl. Sächſ. Weymar. Bader-Ordn. art. ult. in fin. Auch da er den Patienten dadurch an ſeiner Geſundheit, oder wohl gar am Leben verwahrloſet hätte, nach Befindung am Leibe geſtrafet werden.*

§. VII.

Opus balneare imperfectum relinquens de diſpendio tenetur, ſin vero tanti in bonis non habeat, fuſtibus cæſus civitate ejiciendus cenſetur ex Zenonis conſtitutionibus. *l. 12. §. 8. C. d. ædif. priv. l. un. C. d. monopol.* ubi, quod in *d. l. 12.* generaliter de artificibus dicitur, dein in *d. l. un.* in ſpecie ad balneatores ſimul transfertur; Vnde optime duæ iſtæ conſtitutiones ſunt conjungendæ. Opus quoque ab altero inchoatum & derelictum qui perficere recuſat, iisdem pœnis ſubjicitur. *d. l. 12. §. 8.* CARPZOV. *P. II. Conſt. 6. def. 11.* MAEV. *ad Jus Lubec. L. IV. t. 13. art. 3 num. 39.* Vtiliter hæc applicari poſſunt ad curationes imperfectas a balneatoribus derelictas, propter quas pœna hodie arbitraria tenentur. Sed quær. ſi æger promiſſam mercedem non ſolvat, an eo usque donec ſolvat, liceat derelinquere? Neg. Ab initio tamen ſuſcipere ægrum non cogitur, antequam aut ſolvat, aut ſatisdet, aut alias ſecurus eſſe poſſit balneator, ſemel vero ſuſceptum pro fide magiſterii, *nach Meiſters Treu und Glauben,* fideliter ipſum debet tractare. Quemadmodum autem ſuſceptam ſemel curationem ex omni fide debet curare; ita quoque magiſter magiſtri fidem apud ægros non debet elevare, ut illos ad ſe diſtrahat, nec inſcio ipſo, nec tum dimiſſo, alienam curationem intercipere;

 quod

quod vocatur; *ins Band fallen. Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 13. in fin. Geſtalt denn auch keiner den andern ins Band fallen ſoll, es ſey denn der erſte Meiſter zu vorher contentiret und bezahlet worden, bey Strafe 1. fl. ſo oft es geſchicht.* Cæterum non ſolum ægrum derelinquere non licet; ſed etiam e contrario curationem lucri cauſa non decet retardare, ſecus faciens gravi pœna caſtigandus; uti proviſum *in der Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordn. in dem Amt Gehren art. 5. in med.* ibi: *Vornemlich ſoll keiner einen Patienten mit der Cur befliesſentlich, um ſchnöden Gewinſtes willen aufhalten, ſondern ſo bald es nur durch Gottes Segen ſeyn will, zu voriger Geſundheit verhelfen, bey Vermeidung ſcharfen Einſehens, auch nach Befindung Legung des Handwercks, oder wohl Landes-Reumung.*

§. VIII.

Injuria tribui toti vel familiæ tribuariæ facta ab extraneo communibus collegii expenſis vindicatur; ſin vero magiſter magiſtrum aut ſocius ſocium injuriis inceſſat, (damnata irrationabili conſuetudine contraria, Vid. *Policey Ordn. zu Franckfurt 1577. t. 38. §. 4. Es ſollen auch &c.* it. Rec. Imp. *de ao. 1654. §. 5.*) injuriatus tamdiu pro membro tribus honeſto, ac integræ famæ eſt reputandus, donec de imputato crimine legitime fuerit convictus; Ipſe vero injurians niſi intra terminum lege præſtitutum objectum crimen probaverit, pro infami tamdiu habendus, donec tum magiſtratui, tum læſo ſatisfecerit. Id quod prudenter ita diſponit *Gräflich Schwartzb. Bader-Ordn. in dem Gemeinſchaft-Amt Gehren art. 14.* his verbis: *Wo ſichs aber zutrüge, daſs jemand die gantze Bader-Zunft, oder derer Geſinde injurirte, ſchmähete, oder*

*das*

*das Handwerck an Ehren, guten Nahmen und Glimpf antaſte-te, ſo ſollen die Unkoſten und Zehrungen, ſo zu Juſtificirung des Handwercks gerechtſamen aufgehen würden, aus den Mit-teln deſſelben genommen werden.* (Conf. iisdem fere verbis: *Weym. Bader-Ordn. art. 27.*) *Da aber etwa ein Meiſter oder Geſelle von andern geſcholten wäre, ſoll er von der Zunft ſo lange vor ehrlich gehalten, vor ein Mitglied erkennet, auch von niemanden aufgetrieben werden, er ſey denn der Beſchuldi-gung, ſo ihm zugemeſſen, genüglich überwieſen. Derjenige aber, welcher den andern etwas bezüchtiget, und die That in-nerhalb 6. Wochen und 3. Tagen nicht auf ihn bringen könn-te, ſoll ſelbſt ſo lange vor unehrlich gehalten werden, bis er ſich ſolcher unerweiſslichen Schändung halber mit der Obrigkeit und dem Geſcholtenen ſo wohl als dem Handwerck abgefun-den.* Conf. *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 10.* Co-gnoſcitur autem de hac injuria apud Tribum, ſin vero atrox fuerit, ad magiſtratum pertinet cognitio. *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 18. Welcher Meiſter den an-dern an ſeinen Ehren im Handwercke vor offener Laden ſchän-det und ſchmähet, der ſoll nach Erkänntniſs des Handwercks geſtrafet werden; Es wäre denn die Verbrechung dermaſſen beſchaffen, daſs ſie dem Handwercke zu ſtrafen nicht gebüh-ret, ſo ſollen Kläger und Beklagte vor die Obrigkeit gewie-ſen, und deren Ausſpruch und Verfügung zu geleben ſchul-dig ſeyn.*

§. IX.

Delictis circa balneum extraordinariis accenſetur, ſi quis balneator per media illicita curationem fecerit v. g. *durch Segenſprechen &c.* quo caſu arbitrarie puni-tur. Ordinat. Gothana Polit. *P. II. C. 3. t. 6. §. 1. & 2.*

 ibi:

ibi: *Ingleichen die Bader, welche Fieber und Kranckheiten durch Creutzmachung, auch andere in Gottes Wort verbotene Mittel, als daſs ſie eins und das andere zu ſonderbahr gewehlten Zeiten und Tagen, mit ſonderbahren Worten, Bezeichnungen, Segenſprechen, und andern dergleichen nichtswürdigen Umſtänden, ſonderlich bey Kindbetterinnen fürnehmen, zu heilen ſich anmaſsen &c. Wir ernſtlich wollen, und nicht allein bey nahmhafter Geld, ſondern auch nach Gelegenheit ſchwerer Strafe, und hierneben ſonderlich bey Verluſt alles deſſen, was zu dergleichen Curen gehörig, hinter den Verbrechern gefunden werden mag &c.* Eodem refertur ſpecies improbæ mendicitatis, quam illi incurrunt, qui obeundo magiſtros tribus, otioſi per regiones ac civitates diſcurrunt, donationes auferunt, nec manum ſtudiumque ſuum, oblatis licet operis, addicere volunt; qui ſi tales apparuerint, nihil eis de donatione alias conſueta debetur; uti proviſum *in der Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordn. in dem Amt Gehren, art. 10.* ibi: *Weilen aber auch unter Geſellen und Lehrjungen ſich iezuweilen welche finden, die ihnen die Geſchencke mehr, denn die Arbeit laſſen angelegen ſeyn, welches denn daraus zu verſpüren, daſs ſie alleine von einem Orte zum andern laufen, Bader und Geſellen zu beſchweren, und oftermahl den ihnen angebotenen Dienſt ausſchlagen, ſo ſollen dergleichen Müſſiggänger weder mit Eſſen noch Trincken, noch Lager oder andern willfahret werden.* Quæ conſentiunt cum iisdem fere verb. *der Weymar. Bader-Ordnung art. 32.* Pertinet denique huc contumacia & inobedientia contra tribum, ſi quis legitime citatus comparere contumaciter nolit. Uti decidit *Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordn. art. 12. Wenn nun das*

*Hand-*

*Handwerck ſeine jährliche Zuſammenkunft vor der Lade zu halten pfleget, und einer oder der andere, ohne erhebliche Urſache und Entſchuldigung auſſenbleibet, der ſoll 12. Groſchen zur Strafe verfallen ſeyn.*

§. X.

Ad judicia publica ordinaria refertur, ſi quis balneum incenderit, quod jure Civili pœna ordinaria coercetur. In Legibus Boiuvariorum *t. 9. ſect. 3. can. 1.* hæc dictatur pœna; *Si quis deſertaverit, aut culmen ejecerit, quod ſæpe contingit, aut incendio tradiderit, uniuscujusque, quod firſtfalli dicunt, quæ per ſe conſtructa ſunt, id eſt, balnearium, piſtoriam, coquinam, vel cætera hujusmodi, cum tribus ſolidis componat & reſtituat diſſipata ac incenſa.* Solidus autem Francicus 40. denariis argenteis conſtabat, uti ex Hincmaro explicat Pithœus *in gloſſar. ad Capitular. R. Francor.* Tempore Pipini & Caroli M. ſolidi quantitas ad 12. denarios fuit redacta.

§. XI.

Miniſtrantes in balneis ſi ſe hoſpitibus proſtituerint, fornicationis pœna ordinaria plectuntur; At balneator, ſi ſcienter talia mancipia quæſtum facientia in officina habuerit, aut ad impudicitiam illorum conniveat, lenocinii pœna coercetur, ex judicio VLPIANI *l. 4. §. 2. ff. de his qu. not. infam.*

§. XII.

Commune lavacrum ſi fœmina cum viris libidinis cauſa habuerit, vel vice verſa, conjugem vir ex

conſtitutione Juſtiniani (hanc enim repudii cauſam Theodoſianis capitulis imp. addidit) poterat repudiare, & viciſſim mulier a marito licito divertere. Amittebat præterea pars, quæ in culpa fuerat, lucra nuptialia, quæ pars læſa lucrabatur, & jus ſuccedendi in portionem legalem, *l. 11. ʃ. f. C. d. repud. Nov. 22. c. 16.* §. *1.* KLOCK. *de Aerar. II. c. 15. n. 5.* quod & Græcis Impp. placuit Βασιλικῶν *L. 28. t. 7. ʃ.* 2. verb. *ſi cum viris extraneis nolente marito, convivia agitet & ſimul lavetur.* Ceſſabat tamen divortium & pœna hæc (1.) ſi conjux in balneum commune conſenſerit. *Nov. 117. c. 8. ʃ. 4.* verb. *nolente marito.* ducto inde a contrario argum. Quo tamen caſu conjugem a lenocinii pœna non abſolverim. (2.) Si uterque conjugum communia cum extraneis lavacra exercuerit, tunc enim paria delicta quoad intereſſe hoc privatum compenſantur, & mores, quos alter conjugum in ſe probat, in altero improbare non poteſt. *l. 47. ff. ſolut. matrim.* (3) Si fuerint perſonæ domeſticæ, cognatæ, ac familiares, in quas ſiniſtra ſuſpicio non cadit. *d. Nov. 117. c. 8. ʃ. 4.* verb. *extraneis.* Hodie cum repudia privatæ amplius auctoritatis non ſint, neque ob allegatas a Juſtiniano cauſas, præter adulterium ac moribus adjectam malitioſam deſertionem, divortium decernatur, utique ad diſſolvendum matrimonium non ſufficit, conjugem commune lavacrum cum extraneis habuiſſe, ſi non ſimul de adulterio ibidem perpetrato conjux conjugem legitimis probationibus convincat.

## §. XIII.

Ad delicta publica ordinaria olim quoque referebatur, ſi quis contra legem privilegio non impetrato aquas ad balneum duxerit; Et pœna erat, prædiorum, quæ aqua publica contra legem erant irrigata, ac ipſorum etiam mancipiorum publicatio, teſte FRONTINO *de aquæd. L. II. p. m. 64.* inque eundem modum Valentin. Theodoſ. & Arcad. Impp. reſcribunt *l. 2. C. d. aquæd. l. 4. C. Th. eod.* Qui vero maiori modulo, quam præſcriptus erat, aquam ad balneas duxerit, privilegium in pœnam amittebat, & per ſingulos obulos, quos ultra licitum uſurpaverat, libræ unius auri diſpendiis ingravebatur. *l. 2. C. Th. d. aquæd.* Ipſi vero miniſtri aquæductuum, niſi iſtos uſurpantes aquarum poſſeſſores prodiderint, ſex librarum auri multa feriebantur. *l. 3. C. Th. d. aquæd.* Sin iſti quoque, per quorum prædia aquæductus publici tranſirent, illos non repurgaverint, ſiquidem propter hanc curam certis immunitatibus gaudebant, amiſſione poſſeſſionum iſtarum multabantur, quas fiſcus occupabat; ſecundum Conſtantini Imp. placitum *l. 1. C. d. aquæd.* Arbores denique juxta aquæductus publicos non intermiſſo legitimo ſpatio qui plantaret, non ſolum jus aquæ amittebat, ſed etiam prædium ac in ſpecie balneum, ad cujus uſum aqua manaverat, fiſci iuribus vindicabatur, ex Conſtantini & dein Zenonis Impp. decretis. *l. 1. C. d. aquæd. l. 6. l. 10. eod.* Erant præterea Theodoſii & Valentiniani reſcripto apparitores Rectoris provinciarum conſtituti, qui thermas ac balnea obibant, & inquirebant, num contra leges aut aqua eſſet ducta aut aliquid

aliquid in noxiam æquæductuum poſitum. *l. 6. C. d. aquæd.* Conf. CASSIODOR. *Var. form. III. ep. 21.*

§. XIV.

Facinora proinde in & circa balnea perpetrata tum ab ipſis balneatoribus, tum ab hoſpitibus, quilibet recte denunciat, ad vindicandum iſta, inque ea iudex ex officio debet inquirere. *arg. l. un. C. de monop.* Inprimis vero balneatores ad exemplum chirurgorum ad magiſtratum deferre jubentur, ſi qua vulneratos ad curationem accipiant, ut ſcil. ſtatim iudex poſſit ulterius inquirere. Uti proviſum *in denen Innungs-Articuln der Barbier in Jena art. 17.* ibi: *So oft auch die Bader von denen Studioſis oder ſonſten verwundete Patienten bekommen, ſollen ſie ſolche, gleich denen Barbierern, bey den Gerichten anzuzeigen ſchuldig ſeyn.* Ad eundem modum diſpoſitum eſt *in der Gräfl. Schwartzb. Bader-Ordnung in dem Ambt Gehren art. 6.* ibi: *Sollte bey duelliren, Balgereyen, oder andern dergleichen Unfug, Verwundung vorgehen, ſollen die Bader, ſo bald ſie zu denen Verwundeten berufen worden, ſolches unſerm Ambte anzeigen, bevorab, wenn bey den Verwundeten Lebens-Gefahr vorhanden. Würde nun einer ſolches ungebührliches Verſchweigens überführet, der ſoll ernſtlich geſtrafet, auch nach Gelegenheit des Handwercks verluſtig erkannt werden.* Simili modo, in ipſo balneo, vel ante vel poſt lavationem, ſi hoſpites balneatorii aliique illicite quid & petulanter commiſerint, idque reſciverit balneator, illud ſub pœna arbitraria judici debet denunciare, quam in rem Ordinatio Gothana Provinc. *Part. II. Conſtit. 3.*

*tit.*

*tit. 24. Auch ſoll einem oder dem andern vor oder nach dem Bade keine unziemliche Zuſammenkunft oder Leichfertigkeit, in Geberden, Worten und Wercken verſtattet, ſie der Obrigkeit durch den Bader angezeiget, oder da er es nicht thut, und es ſonſten erfahren wird, er ſelbſt darum geſtraft werden.* Conf. *l. qui domum 8. C. d. adult.* Ipſi quoque magiſtri aut ſocii, ſi inter ſe contra jus ac fidem tribuariam aliquid commiſerint, invicem ad denunciandum tribui ſunt obſtricti, ſin vero id reticuerint, & colluſerint, vel quocunque modo doloſe occultaverint, ſeveris pœnis ſunt coercendi; Quam in rem proviſum, *in der Gräfl. Schwartzburgiſchen Bader-Ordnung art. 9. Da auch einem Geſellen oder Wochenlöhner bewuſt, daſs ein Bader-Geſelle oder Lehrjunge ſich ungebührlich verhielte, oder etwas unrichtiges beygeſtoſſen würde, ſoll er ſolches nicht verſchweigen; Würde aber einer den andern in Ausübung ſeiner Betrügereyen oder andern unrechtfertigen Händeln beförderlich ſeyn, oder ſolche unterdrücken und vertuſchen helfen, ſo ſoll er demſelben allerdings gleich geachtet und beſtrafet, oder auch nach befundenen Umſtänden vor unredlich geſchätzet und gehalten werden.* Ac præcipue ſi ab exteris locis ſocii peregrinantes veniant, debent de mala fama illius loci magiſtri ac tribus referre, ut in notitiam tribus perveniat, quo ab ejus conſortio abſtinere tribuarii poſſint, *Fürſtl. Sächſ. Weymariſche Bader-Ordnung artic. 29. Soll ingleichen ein iedweder Geſelle oder Mittler, von den Meiſtern und Geſellen des Orts, von denen er angewandert kommet, einen Gruſs bringen, und da ihme was bewuſt, daſs einem Meiſter und Geſellen etwas unrüchtiges zugemeſſen wäre, ſolches hierneben anzeigen, und in keinen Vergeſs ſtellen, ſo lieb ihm ſeine eigene*

*Redlichkeit iſt, auf den Fall aber, da er dieſes vorſetzlich unterlaſſen, ſoll er dem Geſcholtenen gleich, und ſelbſt vor anrüchtig geſchätzet und gehalten werden.*

## §. XV.

Pœna, quæ in cauſis balnearium delictorum obtinent, præter communes, frequentes ſolent eſſe; Multæ pecuniariæ, prohibitio opificii exercendi, relegatio &c. *Gräfl. Schwartzburg. Gehriſchen Bader-Ordnung art. 15. So ſich ein Bader nach dieſer Ordnung nicht verhielte, ſondern vorſetzlich widerſtrebte, und deſſen von der Obrigkeit überführet würde, ſoll er nach Beſchaffenheit der Sache mit 4. 6. bis 10. Thaler: were aber die Widerſetzlickeit gar zu hart und groſs, mit Legung des Handwercks beſtraft: Von ihme auch bis nach ausgeführter oder abgethanen Sache, kein Lehrjunge oder Geſelle gefodert werden, ſondern die Treibung des Handwercks bis dahin geleget ſeyn, doch daſs ſolches alles auf Erkenntniſs unſers Amts geſchehe.* Quæ eodem ſenſu reperiuntur *in der Fürſtl. Sächſ. Weym. Bader-Ordnung art. 21.* Executio iſtarum pœnarum eſt penes magiſtratum civilem, tanquam generalem placitorum principalium executorem; Fructus vero pœnarum pro conſuetudine nonnullarum regionum, quoad dimidiam partem cedunt fiſco ſ. rationibus principis, in recognitionem ſc. jurisdictionis; quoad alteram partem arcæ opificiariæ, *der Innungs-Lade,* ubi ad communes corporis ſumtus ſervantur. *Gräfl. Schwartzburgiſche Bader-Ordnung in dem Ambt Gehren, artic. ult. Sollen alle Strafen, ſo Kraft dieſer Articul von denen Zunftgenoſſen gefallen,*

*len, zur Helfte in unſer gemeinſchaftlich Ambt geliefert, und die andere Helfte dem Handwerck in die Lade gelaſſen werden.* Pecuniæ vero, quæ pro diſpenſationibus v. gr. propter remiſſum inſtitutionis annum &c. erogantur a tribuariis, ſolius ſunt Principis, quippe cujus ſaltem eſt de conceſſis privilegiis diſpenſare. *Gräfl. Schwartzburgiſche Ordnung l. c. Die Diſpenſation-Gelder aber, ſo etwa wegen ein oder andere Erlaſſung, an Lehr oder Muthung, oder Wander - Jahren, Proben oder ſonſten auf unſer Gutbefinden und Verordnung geſchehen möchten, verbleiben unſerm Ambte allhie.*

## §. XVI.

Atque hæc ſunt, quæ de balneis eorumque Jure in præſens diſſerere placuit; Quibus tamen, ne vacent, quæ ſuperſunt, paginæ, addendum eſt elegans & notatu dignum Epicteti reſponſum, quod refert CHOCKIER *in Theſ. Aphoriſm. Polit. L. I. c. 5. in med.* Interrogatus enim Epictetus ab Adriano Imp. *Quid eſt homo?* reſpondit: *Balneo ſimilis, Prima cella Tepidaria ſ. unctuaria infans natus perungitur; Secunda cella Sudatoria, Pueritia eſt. Tertia cella, Aſſa perferentaria, Juventus. Quarta cella Frigidaria, ſenectus omnibus æquat ſententiam.* Ita nimirum magnus ille Stoicæ ſectæ philoſophus ad quadruplices balneorum veterum cellas, quatuor hominum ætates elegantiſſime comparat. Prima cella, cui infantiam ſimilem dicit philoſophus, erat *Tepidaria*, dicta & *Unctuaria*, in qua balneaturi, aqua leniter aſperſa, nudi inungebantur per aleiptas. Sic, quem nudum na-

tura producit hominem, mox tradit parentum manibus, ut teneram & nudam infantiæ mentem bonis præceptis veluti inungant. Tranſit homo ex infantia ad pueritiam, tanquam cellam *ſudatoriam*; dum per labores, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, exit ſudor, et vitioſus naturæ humor per virtutis culturam educitur. Aperit Juventus tertiam cellam, quam *aſſam perſerentariam* veteres dicere ſolebant, quia in hac ſiccus calor incluſus corpora veluti decoquebat. Sunt hi ipſi juventutis mores; ubi animus calet, ardeſcit, & vividus vitæ ſpiritus mentibus infunditur ad ſubeundos & perferendos quoscunque fortunæ, vitæ ac fatorum caſus. Et ſic tandem diſcedit mortalium ætas in cellam *frigidariam*, atque in ſenectutem prolapſa vitæ humanæ ſtructuram abſolvit.

INDEX

# INDEX I. CAPITVM.

Cap. I. de balnei etymo, ſignificatione, definitione et diviſione p. 1

Cap. II. de balneorum conſtitutione & ſtructura 18

Cap. III. de inſtructu balnei 68

Cap. IV. de uſu, fructibus & oneribus balnei 83

Cap. V. de privilegiis balnei & balneatorum 114

Cap. VI. de iis, quæ ex iure perſonarum circa balneum notanda 154

Cap. VII. de Iuribus in re circa balneum 163

Cap. VIII. de Pactis, conventionibus, ac contractibus balneantium & circa balneum 179

Cap. IX. de iudiciis & foro balneorum & balneatorum 188

Cap. X. de contrariis balnei, delictis & pœnis 202

# INDEX II.

## RERVM MEMORABILIVM.

### A.


**A***buſus* privilegii aquæ ducendæ ad balnea, quomodo coerceatur? p. 215.

*Actiones*, quæ dentur ad vindicandum balnei uſum, 107. ex contractu locationis circa balneum 187.

*Aedilis* habebat curam aquæductuum 190.

*Aeſtimatio* civilis balneatorum 120.

*Ancillæ* balneares 81.

*Aqua* caduca, ius huius ducendæ ad balnea 116. abuſus huius privilegii quomodo coerceatur? 215.

*Aqua* et unguenta balnei ad lavationem 69. ſq.

*Aquæductus*, unde in thermas facti 22. penes quem magiſtratum fuerit? 191.

*Argentum* balneare, quid 72.

*Auflegegeld*, apud balneatores, quid? 113.

### B.

*Bad*, unde hæc appellatio? 13.

*Baden*, pertinet ad operas balneatorum 139.

**Baderzunftgerechtigkeit**, quæ? 118

**Badſtuben**, unde hæc appellatio? 13.

Βαλανεῖον, unde? 3. græca balnei denominatio 12.

*Balanos* in uſu habebant veteres 4.

*Balnearia*, denominatio balneorum 11.

*Balneati* iura et merces balneorum 186.

*Balneator*, in quo conueniat cum fullone? 25. quis? 79. eiusdem æſtimatio ciuilis 120. quid eidem faciendum, ſi ad magiſterium adſpirat 127. futuri examen 128. prandium & præſtatio iurium, 129. receptio 131. an chirurgus civitatis ordinarius conſtitui queat? 148. quas operas exercet 139. quam culpam præſtet circa operam ſuam. 151. horum tribus quæ iura habet 133. conventus, 136. inſigne, 137. quomodo tollatur. 153. conſiderari poteſt in certo ſtatu, 154. non natura, ſed inſtitutione fit 154.

154. ſq. eſt civis honeſtæ famæ 161. horum pacta licita & illicita 179. an poſſit eſſe teſtis? 199. de huius iuramento ib. quod forum habeat? 195. eorumdem iura ex quibus principiis decidantur? 200. ſq. quomodo damnum circa operam ſuam datam reſarcire teneatur? 208. ſq. quomodo ſe gerere debeat intuitu curationum, 209.

*Balneatores* & balneantes, quis horum facinora denunciare debeat? 216.

*Balneatoria* ſimilitudinem habent cum diverſoriis publicis. 26.

*Balneum*, unde? 2. eiusdem ætas & uſus hodiernus, 5. homonyma 6. dicitur etiam balineum, 7. lavacrum 8. balneæ. 9. thermæ, 10. officina 10. balnearia 11. quomodo græce adpelletur in legibus 12. germanica adpellatio, Bad, unde? 13. definitur & explicatur, 14. an ſub nomine ædificii ac domus contineatur. 14. refertur ad prædia urbana, immobilia & publica 16. conſtituere idem, quid ſit? 29. cui hoc conceſſum 30. ſtructura eiusdem eſt fauorabilis. 30. in hoc impenſæ triplices. 34. quis ferat has, 36. exachones in hoc impenſæ. 38. ſq. in hoc oblationes buleutarum bithyn. collatæ. 39. in his exſtruendis quisnam ſpectandus ſitus ciuilis? 44. quod ſolum eidem deligendum? 44. quousque diſtare debeat ab ædibus vicinis 48. ſq. limites huius qui eſſe debeant. ib. an liceat condere iuxta parietem communem. 50. quæ remedia dentur circa idem exſtruendum. 51. quæ horum forma eſſe debeat? 52. quæ fuerit antiquitus 53. in hoc opus figlinum 53. concamerationes ib. ſimulacra, picturæ et alia ornamenta. 59. tubuli et vapores balnearii. 64. fiſtulæ, ſellæ ac ſcalæ 65. refectio a quo facienda et quibus remediis 67. eiusdem inſtructus 69. aqua et unguenta ad lavationem 69. ligna ad calefactionem, 71. vaſa. 73. uſus & lavatio 83. ad uſum huius vindicandum, quæ dentur actiones 107. reditus huius ad quem pertineant? 111. quod ſignum olim ad hoc datum et quod hodie detur. ib. eidem onera recte imponuntur 112. quibusdam immunitas conceſſa 116. aliud virorum, aliud mulierum, an hodie in uſu 23.

eſt

eſt vel publicum, vel privatum 16. ſq. ad hoc manumitti poterat olim in tranſitu 155. an maritus hoc exſtruere teneatur uxori 159. quatenus cauſam præbeat divortii 160. eſt in dominio, 163. an ius ſuperficiei et emphyteuſeos in eodem locum habeat 164. an in idem feudum cadat? ib. quid eiusdem uſusfructus et uſus contineat. 166. ſq. eiusdem ſervitutes. 167. ſq. poteſt per ſucceſſionem ad alium transferri 172. eiusdem legatum eſt individuum, 173. modi idem legandi 174. ſq. pro anima an valeat? 176. eiusdem fidei commiſſum ib. ſq. poſſeſſio 178. quatenus pignus recipiat 177. eius creditum quod dicatur 180. commodatum, 181. locatio 182. ſq. quatenus circa hoc ſocietas locum habeat? 181. an poſſit vendi 182. eorum balneaticum et merces 186. a veteribus diis dedicabatur 193. ad quem eius iurisdictio pertineat? 194. viſitatio 194. ſq. ab eodem recte quis in ius vocatur. 198. magiſtratus circa hoc 188. quando cura huius ad præf. Vrb. et præt. tranſierit. 189. an rumores eius probent. 199. deſtructio quomodo contingat. 203. damnum circa hoc eveniens quis præſtet. 208. ſq. huius incendium quomodo puniatur 213. fornicatio in eodem commiſſa 213. non debet abuti privilegio aquas ducendi 215.

*Balneum* æſtivum et hyemale 43.

- - eccleſiaſticum 24. quis condat 34. habet ius aſyli 118. ſq.

- - municipale, quibus impenſis fuerit ſuſtentatum 40.

- - naturale, eius ſitus, quis? 42.

- - privatum, uſus huius ad quem ſpectet, 87. quando lavet in hoc extraneus. 87. an milites olim exigere potuerint a poſſeſſoribus ædium. 88.

- - publicum quid 17. eſt vel gratuitum 18. vel meritorium 19. quando privatus huius ſumtus ferat 41. in quo loco exſtruendum 46. ſervi eiusd. 77. omnis adit, qui non prohibetur 101. an excommunicatus, 101. an pœnitentes adire poſſint 102. qui prohibentur adire ib. religioſis non interdictum. 104.

- - Zeuxippi 21.

*Band, darein fallen*, quid ſignificet, 209. ſq.

*Barba,*

*Barba*, huius tonſura, quatenus ad operas balneatorum pertinet. 140.
*Buleutarum*, Bythinicor. oblationes in balnea collatæ 39.

C.

*Calix* balneatorum, quid 117.
*Cameræ* balneatorum, 54. ſq.
*Capſarius*, 80. quis aduerſus hos iudex fuerit 193.
*Cauſæ* tribuariæ, quam tribus habeat iurisdictionem in his 196.
*Cognati* apud Romanos abſtinebant a lavacris promiſcuis 105.
*Coloni* an teneantur operas ruſticas præſtare ad balneum domini ædificandum 156.
*Concamerationes* balneorum 53.
*Conuentus* balneatorum 136.
*Creditum* balnei quid 180.
*Crines* decurtare pertinet ad operas balneatorum. 141.
*Curatio*, quæ pertineat ad balneatores 142. 150.
*Curatores* aquæductuum a ſenatu conſtituti 191.
*Cuſtodes* ventri additi ſequebantur fœminam in balneum 160.

D.

*Damnum* circa balneum eveniens quis præſtet 208. ſq. circa operam ſuam datam quomodo reſarcire teneatur balneator 208. ſeq.
*Delicta* balnearia, quibus pœnis coercenda 218. extraordinaria recenſeatur 211. ſq.
*Dendrophori*, qui? 78.
*Depoſitum* balnei 180.
*Deſtructio* balnei, quomodo contingat? 203.
*Dii*, his a veteribus balnea dedicabantur. 193.
*Diverſoria* hodierna habent ſimilitudinem cum balneatoriis veterum 26.
*Divortium*, quatenus balneum huius cauſam præbeat. 160.
*Diſcuſſores*, qui 40.

E.

*Exactiones*, quæ in balnea impenſæ 38.
*Examen*, futuri balneatoris 128.
*Excommunicatus*, an balneum publicum adire poſſit 101.
*Extraneus*, quando lavet in balneo priuato. 87.

F.

*Facinora* balneatorum & balneantium quis denunciare debeat 216.
*Familia* aquaria 78.
*Feudum*, an cadat in balnea? 164.
*Fideicommiſſum* balnei 176.
*Fiſtulæ* balneorum 65.
*Fœminæ*, his ſequebantur in balneum cuſtodes ventri additi 160.

*Forma* balneorum, quae eſſe debeat? 52. quae antiquitus fuerit 53.
*Fornax* balnei 62.
*Fornicatio* in balneo, quomodo puniatur? 213.
*Forum* balneatorum 195.
*Fullones* qui? 25. quomodo cum balneatoribus conuenerint? ib.
*Fullonica* cognatum balnei 25.
*Furtum* balneare quid? 203. qua poena coercitum apud graec. & Rom. 205. quae ab hoc excuſent 206. quomodo hodie puniatur? 207.

*G.*

*Geſelle* apud balneatores 125. ſq.

*H.*

*Habitatio*, an ad balneum ſpectet, 168.
*Hypocauſtum* balnei 63.

*I.*

*Immunitas* quibusdam balneis conceſſa 116.
*Impenſae* in balneum triplices 34. quis ferat? 36.
*Incendium* balnei, quomodo puniatur 213.
*Iniuriae* tribui factae quomodo vindicentur 210.
*Inſigne* balneatorum 137.
*Inſtructus* balnei quid 69. eſt duplex, rerum & perſonarum 69. quatenus pro immobili reputetur 82.
*Interpretatio* qualis locum habeat in iuribus balnei 201. ſq.
*Iudaei* prohibentur a balneo publico 102.
*Iura* balnei, qualis interpretatio in his locum habeat 201. ſq.
-- -- tribus balneatorum 133. quid? 118. vel augere vel imminuere penes principia eſt, 138. ex quibus principiis decidantur 200. ſq.
*Iuramentum* balneatorum, ſi teſtes ſunt 199.
*Iurisdictio* balneorum, ad quem pertineat hodie 194.
-- tribus in cauſis tribuariis 196.
*Ius* aquae caducae ducendae ad balnea 116. 170.
-- aſyli balneis eccleſiae datur, 118. ſq.
-- mittendi fumum ex cuniculo habet balneum 170. ſq.
-- ſuperficiei & emphyteuſeos, an in balneis locum habeat? 163.

*L.*

*Ladegebühren* apud balneatores, 133.
*Lavacrum* dicitur etiam balneum 8. haec erant apud Romanos olim promiſcua 104. ab iis abſtinebant cognati 105.
-- commune virorum & feminarum coniugum, qua poena interdictum 213. ſq.

*La-*

*Lavacrum* Conſtantinop. quid? 20.
-- -- mixtum, olim in uſu 105. poſtea & hodie interdictum, 107.
*Lavare*, an ſemper neceſſe in balneis 84. cauſae lavandi quatuor, & quae admittendae 85. tempus lavandi arbitrarium 107. an lavari licitum die feſto 109.
*Lavatio* balnei 72. eſt uſus eiusdem 83.
*Legatum* balnei individuum eſt 173. domo, an balneum iunctum contineat 176.
*Leproſi* prohibentur a balneo publico 103.
*Ligna* ad balnei calefactionem 71.
*Lintrones*, qui? 77.
*Locatio* balneorum 182. ſq.
-- -- particularis circa operam balneariam 183.
*Losſprechung* apud balneatores, 125.

M.

*Magiſter* opificiarius, quam poteſtatem habeat in tirones & ſocios 157. curam pietatis habet in ſuos ib. ſq. ad alimenta & mercedem tenetur ſuis 158.
*Magiſtratus* circa balnea quotuplex 188. penes quem cura aquaeductum ad balnea fuerit 191.
*Mancipes* thermarum 77. ſalinarum ib.
*Manumitti* poterat olim in tranſitu ad balneum 155.
*Maritus*, an teneatur exſtruere balneum uxori? 159.
*Matula*, vas balnei 72.
*Merces* balneorum 186.
*Milites* an olim a poſſeſſoribus balneum privatum exigere potuerint 88.
*Moduli* aquarum, quid? 116. ſq.

N.

*Navicularii* 77.

O.

*Oblationes* buleutarum bithyn. in balnea collatae 39.
*Officina* dicitur etiam balneum 10.
*Oleum* thermarum 37.
*Onera* recte balneis imponuntur 112. quis ferat 112. quottruplicia ſint 113.
*Operae*, quas balneatores exercent, 139. ſq. 140. 142.
*Opus* in balneis figlinum 53.
*Ornamenta* balneorum 61.

P.

*Pacta* balneatorum licita & illicita 179.
*Picturae* balneorum 61.
*Pignus*, quatenus balneum recipiat 177.
*Piſcina* frigida 56.
*Poena* in furtum balneare ſtatuta 203. hodie 207. incendii balnei, 213. fornicationis in balneo, ib. communis lauacri virorum & feminarum, ib. ſq. balneatorum, qui officio non ſatisfaciunt 209. qua coercentur delicta balnearia 218. ad quem ſpectet horum executio & fructus, 218.

*Poeni-*

*Poenitentes*, an adire poſſint balneum publicum 101.
*Porticus* ante thermas 54.
*Poſſeſſio* balnei duplex 178. ſq.
*Poteſtas*, quae competit magiſtro in tirones & ſocios 157.
*Praefurnium*, quid? 63.
*Prandium* & aliae praeſtationes balneatoris futuri 133.
*Privatus*, quando ferat ſumtus balnei publici 41.

Q.

*Quaſi* Contractus, qui in cauſas balnei incidant 187.

R.

*Receptio* balneatoris, quomodo fiat? 131.
*Reditus* balnei, ad quem pertineant? 111.
*Religioſi*, his balnea publica non interdicta 104.
*Riſcus*, quid? 72.
*Romani* habebant lavacra promiſcua 104.
*Rumores* balnei an probent 199.

S.

*Salinarum* mancipes 77.
*Schenckung* des Baderhandwercks, quid? 113.
*Schröpfen* pertinet ad operas balneatorum 139.
*Sellae* ac ſcalae balneorum 65.
*Servi*, qui balneo publico miniſtrabant 76.
*Servitutes* balnei reales 170. ſq.
*Signum* ad balneum quod olim datum & quod hodie detur? 111.
*Simulacra* balneorum 59.
*Situs* balnei naturalis, quis? 42.
-- -- civilis in exſtruendis balneis, qui nam ſpectandus 44.
*Societas*, quatenus locum habeat circa balneum 182.
*Socius* magiſtri balneatoris 125.
*Solarium* in balnea impenſum 38.
*Solum* balneo deligendum 44. ſq.
*Sphaeriſterium*, quid? 62.
*Sylvae* balneorum 37.

T.

*Tempus* lavandi eſt arbitrarium 107.
*Teſtis* an poſſit eſſe balneator 199.
*Thermae*, dicitur etiam balneum 10. harum oleum 38. mancipes 77. achilleae 19. antiochianae 19. honorianae 22. commodianae ib. Novatianae 24.
*Tonſtrina* cognatum balnei 26.
*Tribus*, quam iurisdictionem habeat in cauſis tribuariis 196. balneatorum, quomodo tollatur 153.
*Tubuli* balnei, 63.
*Tyro* balneatorius eius requiſita & officium 122. tenetur ad operas una cum ſociis 157.

V.

*Vapores* balnearii 64.
*Vaſa* balnei, 73.
*Vectigal* in balneum impenſum 38.
*Venas* incidere opera balneatorum 142.
*Veſtis* balnearis, 74.
*Vidua* balneatoris pergit poſt mortem mariti in opificio 160. ſq.
*Vindex* civitatis penes hunc cura balneorum 190. quis fuerit, ib.
*Viſitatio* balneorum, cui competat? 194.
*Vnctarium* & tepidarium in balneis, quid? 13.
*Vſus* balnei, quae dentur actiones ad hunc vindicandum 107.
*Vſusfructus* & uſus balnei quid contineat 166. ſq.
*Vtenſilia* balnei 69.

Z.

*Zeuggeld*, quid? 113.